

Serie Compendiorum Theologicorum continentur:

Encyclopaedia Theologi Christiani. Scripserunt P. HOFSTEDE DE GROOT et L. G. PAREAU, ed. 3 Gron. 1851.

Hermeneutica Codicis Sacri. Edidit L. G. PAREAU, Gron. 1846.

Lineamenta Historiae Ecclesiae Christianae.

Initia Institutionis Christianae moralis. Edidit L. G. PAREAU, Gron. 1842.

Practische Godgeleerdheid, door W. MUURLING, I D. Gron. 1851.

Institutiones Theologiae naturalis, sive Disquisitio philosopha de Deo hominisque cum Deo coniunctione. Edidit P. HOFSTEDE DE GROOT, ed. 3 Trai. ad Rhen. 1845.

Dogmatica et Apologetica Christiana. Scripserunt L. G. PAREAU et P. HOFSTEDE DE GROOT, ed. 3. Gron. 1848.

SERIES

COMPENDIORUM THEOLOGICORUM

IN USUM

SCHOLARUM ACADEMICARUM.

LINEAMENTA HISTORIAE ECCLESIAE CHRISTIANAE.

EDIDIT

P. HOFSTEDE DE GROOT,

GRONINGAE,
Apud I. OOMKENS. I. FIL.
Academiae Typographum.
1852.

LINEAMENTA
HISTORIAE
ECCLESIAE CHRISTIANAE.

IN


SCHOLARUM SUARUM USUM

EDIDIT

P. HOFSTEDE DE GROOT,

THEOL. DOCT. ET IN ACADEMIA GRONINGANA PROF.

EDITIO ALTERA, EMENDATA ET AUCTA.



GRONINGAE,
APUD I. OOMKENS. I. FIL.
Academiae Typographum.
1852.

Ἰδοὺ, ἐγὼ μεθ᾿ ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.

JESUS CHRISTUS.

PRAEFATIO

editionis alterius.



Idem fere, hunc libellum a. 1835 *primum edens, habebam praefandum, quod Doctores Academici in Compendiorum praefatione monere solent, se in scholarum suarum usum in lucem emittere ea debuisse. Etenim quum nullum Historiae ecclesiasticae Compendium mihi innotuisset, quod in hac Historia enarranda libenter sequi possem, primas ipse Discipulis ab a.* 1829 *duxeram scholarum lineas, quas, eo usque calamo a Commilitonibus exceptas, iam in horum usum et commodum typis describendas curabam.*

Interim magis magisque sese in me et Collegis coniunctissimis explicuit nostra Theologiae Christianae tractandae ratio; ita ut nunc hoc Compendium ad seriem pertineat Compendiorum septem, quibus praecipuas disciplinas theologicas tractamus.

Quodsi tamen aliquis, praeter Discipulos meos, hunc libellum inspiciat, hic, quaeso, observet, me scholarum mearum usui scriptione meâ consulere voluisse, atque hinc cum alia explicet, tum v. c. magnam operam ordini lucido et facili gravissimarum rerum nexui, postpositis aliis, impensam, tum et concisam dictionis brevitatem, lectioni celeri saepe incommodam, Discipulorum meditationi semper utilissimam. Eidem in totius libelli ratione patebit, me non adeo velle res multas minutas attingere, atque ita memoriam



Tironum obruere, quam potius maximas quasque exponere, ideamque historiae huius universalem et sublimem in Iuvenum mente excitare. Qualis vero haec sit idea, maxime liquet e § 1—3, 6, 168, *et ex* Encyclopaediae § 45—54. *Ex hac idea facile etiam explicabit causam, cur Aetatem illam praeparatoriam, contra morem vulgarem, addiderim.*

Item hîc inveniet rationem, cur nullos citem libros, qui consuli possint; nam qui accuratius in rerum Christianarum historiam inquirere volunt, quam in scholis Academicis fieri potest (quales multos semper inter Commilitones meos fore, spero), largum librorum indicem in Gieseleri, Hasii, Royaardsii aliorumque scriptis inveniunt. Ipse porro primarios fontes et libros reliquos indicavi in scholiis meis, haec Lineamenta interpretantibus, sive in Commentariis de hominibus et rebus in Ecclesiae Christianae historia maxime memorabilibus, *quos item typis describere jam incepi.*

In Discipulorum autem meorum usum hoc opusculum et Commentarios illos edens, nullam mihi quaero laudem, nisi quae Doctori, Discipulorum utilitati promovendae intento, ob hoc ipsum tribui solet.

Est vero haec editio priore brevior, quatenus historia literarum theologicarum, tum § 132—135 *et* 159—162 *adjecta, nunc omittitur, quippe iam in* Encyclopaedia *nostra exposita; auctior, quatenus historia ad finem anni* 1851 *perducitur et in quavis fere* § *nonnulla adduntur.*

Scribebam Groningae, die 24 *mensis Maii anni* 1852.

OPUSCULI INDEX.

PROLEGOMENA.

DE HISTORIA ECCLESIAE CHRISTIANAE
RITE TRACTANDA.

AETAS PRAEPARATORIA.

Ab initiis generis humani usque ad Iesu Christi tempora.

DIVINA GENERIS HUMANI INSTITUTIO, ECCLESIAE
CHRISTIANAE PRAEVIA.

PERIODUS I.

A Iesu Christo ad Constantinum Magnum,

ab anno 1 *usque ad annum* 306.

INITIA ECCLESIAE EXTRINSECUS OPPRESSAE.

PERIODUS II.

A Constantino Magno ad Mohammedem,

ab anno 306 *usque ad annum* 622.

ECCLESIAE PUBLICA IN IMPERIO ROMANO AUCTORITAS.

PERIODUS III.

A Mohammede ad Gregorium VII,

ab anno 622 *usque ad annum* 1049.

ECCLESIAE CHRISTIANAE SEDES PRAECIPUA ET FLOS EX ORIENTE TRADUCITUR IN OCCIDENTEM, MAXIME ROMAM.

PERIODUS IV.

A Gregorio VII ad Lutherum,

ab anno 1049 *usque ad annum* 1517.

PAPA ROMANUS ECCLESIAE PRINCEPS.

*

PERIODUS V.

A Luthero ad Fredericum II,

ab anno 1417 *usque ad annum* 1740.

ECCLESIA OCCIDENTALIS IN PARTEM EUANGELICAM ET ROMANAM DIVISA.



PERIODUS VI.

A Frederico II usque ad haec tempora,

ab anno 1740 *usque ad annum* 1851.

SALUTARIS EUANGELII RENOVATI VIS, PRIUS IMPEDITA, DENUO PER TOTAM ECCLESIAM SESE EXTENDERE INCIPIT.

LINEAMENTA
HISTORIAE
ECCLESIAE CHRISTIANAE.



PROLEGOMENA.

DE HISTORIA ECCLESIAE CHRISTIANAE RITE TRACTANDA.



§ 1.

Ecclesia Christiana.

Ante saecula XVIII Iesus Christus, generis humani saluti consulturus, Deo auctore, instituit societatem, quae Graece dicitur ἐκκλήσια, ex capitis nomine *Christiana.* Est vero societas haec cum religiosa, quatenus ad Deum venerandum, tum moralis, quatenus ad hominem excolendum pertinet. Huius Ecclesiae socii sunt qui Ecclesiae capiti sese credunt, atque ideo alicui coetui Christiano sese adiungunt, in quo externis nonnullis ritibus legibusque observandis, et omnium maxime vitae religiosae et moralis, quam a Iesu Christo acceperunt et adhuc accipiunt, communione, a reliquis hominibus plane sunt distincti. Multae autem illae diversae, in quas Christiani etiam ipsi inter se sunt divisi, societates externae, quae *familiae* et *sectae* vel etiam *Ec-*

clesiae Christianae dicuntur, nihil sunt, nisi unius spiritûs et cum Christo communionis formae, pro temporum et populorum diversitate diversae, eaeque magis minusve perfectae.

§ 2.

Ecclesiae Christianae historia.

Huius Ecclesiae historia est continua rerum memorabilium in eâ gestarum enarratio. Quam nobis quidem propositum est ita exponere, ut appareat, quatenus Ecclesia Christiana ex Iesu Christi consilio hominum saluti promovendae magis magisque profuerit. Quo facto haec enarratio nobis erit historia generis humani, Deo auctore per Iesum Christum informati ac quasi regenerati ad vitam iam in terris vivendam coelestem.

Quum vero non modo Deus per Christum liberrimus agat, sed etiam homines agant liberi, duplex est historiae huius facies, altera quatenus Deus per Christum genus humanum informaverit, altera, quatenus homines hac informatione sint usi.

§ 3.

Huius historiae cognoscendae necessitas et utilitas.

Hanc cognosse historiam, non modo utile est, verum etiam prorsus necessarium. Nihil enim in omni mundi historia tanti est ponderis, quanti est Dei in Iesu Christo patefactio. Haec vero non in sola Iesu historia,

quae N. Foederis libris continetur, adest, sed etiam in tota Ecclesiae ipsius historia; idem enim ille Dei Filius, qui in terris versans vitâ et morte suâ hanc Ecclesiam fundavit, eandem deinde e coelis curavit et regnavit, et curat etiam nunc ac regnat. Quare non licet in solo operis immensi, quod egit agitque Iesus, initio ipsum adspicere; sed necesse est, ut initio addamus progressum, et Ecclesiam contemplemur tanquam vivum Christi corpus, quod adhuc imperfectum est quidem, veruntamen, Christi spiritu animatum, mundo iam est eique sensim magis conatur esse Christi vivi minister.

Qualis quum sit Ecclesia Christiana, haec magis immutavit generis humani conditionem omnem, quam quicquid praeter eam in historia mundi invenitur; quare etiam ex vi, quam in genere humano, ex erroris et peccati miseriâ ad sapientiae et sanctitatis beatitudinem perducendo, habuit religio Christiana, originis huiusce religionis Divinae argumentum ducit haec historia omnium efficacissimum. Praeterea praesens Ecclesiae conditio, minime perfecta, neque cognosci vel et intelligi potest, neque emendari, nisi ex historica enarratione nobis constiterit, qua viâ in eam pervenerit.

Igitur nemini eius fata plane ignorare licet. Omnibus enim necessaria est cognitio Divinae in Iesu Christo patefactionis continuae, et efficaciae, quam ea in genere humano immutando habuit, ut de re Christiana omni eiusque pretio vero iudicent ipsi; item necessaria expositio rationis, qua religio Christiana ad ipsos pervenerit, quo facilius falsa a veris, corrupta a germanis ipsi discernant. Omnium vero maxime necessaria est Theologis,

quibus nihil aut ad mentem illustrandam aut ad animum movendum efficacius, quam hanc scrutari historiam.

§ 4.

Fontes.

Historiae huius fontes indagandi sunt ab his, qui ipsi eam accurate cognosse velint.

Praecipui fontes in scriptis quibusdam inveniuntur, quae continent aut *monumenta publica* aut *testimonia privata*. *Illa* sunt Leges et Constitutiones Principum, Acta Conciliorum, Canones Ecclesiastici, Epistolae et Decreta Praefectorum Ecclesiasticorum, inprimis Paparum Romanorum, Fidei Confessiones, similia. *Haec* obvia sunt in scriptoribus aequalibus, aut in iis, qui ex aequalibus iam deperditis hauserunt; ad quos praecipue referendi, qui datâ operâ de rebus ecclesiasticis egerunt, sed etiam reliqui omnis generis scriptores, Poëtae, Philosophi, Oratores, qui illas attigerunt, licet vel ipsi haud essent Christiani.

His fontibus primariis, scripto contentis, addi possunt secundarii, nempe opera artificum, templa, nummi, statuae, inscriptiones, tabulae pictae, quae modo ex publicâ auctoritate, modo ex voluntate privatâ sunt profecta; item addi possunt ritus, consuetudines, traditiones Ecclesiae, modo prudenter adhibeantur.

§ 5.

Subsidia.

Ut vero ex his fontibus aliquis hanc historiam ducat, ei necesse est, antea tam aliis doctrinis, quam historicis, Historiae universali, Historiae Philosophiae, Literarum, Humanitatis, diligentem dederit operam. Praeterea Linguas cognoscat, Graecam, Latinam, nec veteris tantum, sed et medii aevi, recentiores Europaeas, item Orientales; porro Statistices non sit imperitus nec Diplomatices, vitâque etiam et usu hominum eruditus, eâque praeditus animi sinceritate et libertate, ut verum quaerere unum et velit et possit.

A Theologis vero iis, qui in hac Historia habitare eiusque pomoeria extendere nolint, non omnia haec possunt postulari. Aliqua tamen cum Historiae totius reliquae, tum linguarum veterum ac recentiorum cognitione instructi, omnes sint, oportet.

§ 6.

Diversa historiae huius enarratae ratio.

Quum fontibus et subsidiis magna cum eruditione et cautione utendum sit, nulli fere, si unum LUCAM et saeculi IV scriptorem EUSEBIUM, qui *pater historiae Ecclesiasticae* dictus est, excipias, per saecula XV fuerunt Historici, qui probabiliter Ecclesiae Christianae historiam contexuerint. Saeculo autem XVI primum e fontibus, quibus nemo hucusque pene erat usus, erutae et

divulgatae sunt, auctore FLACIO, Lutheranorum *Centuriae Magdeburgenses*, hisque oppositi Cardinalis BARONII *Annales*, quibus suam quique Ecclesiam antiquitatis auctoritate commendarent; deinde plurima edita sunt opera suo quaeque pretio aestimanda, ex quibus hanc disciplinam ulterius excoluerunt inprimis volumina MOSHEMII, qui critice historiam hanc tractavit, SCHRÖCKHII, qui pragmatice eam enarravit, sed mundanae historiae similem, NEANDRI, qui ubivis coelestem religionis Christianae vim ad totam hominis vitam sanctificandam ob oculos cum ipse habet, tum lectoribus ponit.

Inter compendia eminent libri SCHRÖCKHII, MUNTINGHII, SPITTLERI, MUNSCHERI, HASII, GUERICKII, ROYAARDSII, inprimis GIESELERI, qui ultimus prae omnibus videtur commendabilis.

§ 7.

Harum institutionum methodus.

Nobis, secundum propositum § 2 indicatum, historiam hanc enarraturis, opus est, in antecessum attingere, qua ratione Deus ante Iesu Christi tempora genus humanum excoluisse et instituisse videatur; quo facto demum sentire possumus, quamnam vim in felici humanitatis et religionis progressione, imo in genere humano plane regenerando, habuerit Ecclesia Christiana. Deinde ipsius huius Ecclesiae historiam exponemus, Periodis nonnullis distinctam. Harum prima decurrit a Iesu Christo ad Constantinum Magnum, ab anno 1 ad 306, atque exponit initia Ec-

clesiae, extrinsecus oppressae; altera a Constantino ad Muhammedem, ab anno 306 ad 622, in qua maxime cernitur publica Ecclesiae in imperio Romano auctoritas; tertia a Muhammede ad Gregorium VII, ab anno 622 ad 1049, quando Ecclesiae sedes praecipua et flos ex Oriente traducitur in Occidentem, maxime Romam; quarta a Gregorio ad Lutherum, ab anno 1049 ad 1517, quo tempore Papa Romanus Ecclesiae est Princeps; quinta a Luthero ad Fredericum II, ab anno 1517 ad 1740, quum Ecclesia Occidentalis in partem Euangelicam et Romanam est divisa; sexta a Frederico II sive ab anno 1740 ad nostra tempora, quo aevo salutaris Euangelii renovati vis, prius impedita, denuo per totam sese Ecclesiam extendere incipit.

In harum autem Periodorum singularum enarratione initium faciemus a rebus, quarum maius eo tempore videtur fuisse pondus et maior in reliquis vis.

AETAS PRAEPARATORIA.

AB INITIIS GENERIS HUMANI USQUE AD IESU CHRISTI TEMPORA.

DIVINA GENERIS HUMANI INSTITUTIO, ECCLESIAE CHRISTIANAE PRAEVIA.

§ 8.

Aetatis praeparatoriae argumentum.

Est quaedam generis humani institutio Divina, quae illud e conditione humiliore et terrena sensim in sublimiorem et coelestem effert. Haec inprimis quidem per Iesum Christum manifesto in terris apparuit, neque tamen defuit antea. Iam vero huius institutionis Divinae, sive *regni Divini*, prouti dici solet, historiam ante Iesu Christi tempora breviter attingimus Aetate hacce, indicaturi, quomodo ad humanitatem et cum Deo communionem sensim aliquatenus progredi inceperint praecipuae gentes nonnullae Asiaticae porro Graeci, tum Romani, maxime Israëli-

tae, adeo ut, quo tempore Iesus Christus nasceretur, novo quidem ad regnum Divinum amplificandum instituto genus humanum indigeret, attamen eiusdem recipiendi etiam esset capax et cupidum.

Grave vero huius Aetatis historiae consilium nos non plane assecuturos esse, penitus sentimus: nam Divinae illius institutionis vestigia observatu saepe difficilia sunt debilibus mortalium oculis: at vel sic tamen pauca ex historia humanitatis delibasse iuvabit, unde aliquatenus saltem elucescat, qua ratione Deus genus humanum ante Iesu tempora informasse videatur.

§ 9.

Prima religionis et cultûs initia inter Indos.

Initium facimus a gente, quae inde ab antiquissimo aevo ad nostram aetatem usque religione et cultu floret, Indis. Horum terra fertilissima ac suavissima gentem, ingenio, docilitate, industria, virtute eminentem recepit, quae ibi mox sic est exculta, ut religione, legislatione, artibus et opificiis, poësi, lingua politissima summas merito nacta sit laudes. Religio, quam fovet, in pantheismum ac polytheismum eam perduxit, sed etiam in theosophiam sublimem. Sacerdotum regimine, populum primum instituente, deinde opprimente, Indos liberare conatus est vir sapiens, Buddha, qui VI ante C. N. saeculo videtur vixisse, et hoc saltem effecit, ut in alias gentes multas pervenirent religionis ac theosophiae semina, quae inter eas fructus tulerunt egregios.

§ 10.

Inter gentes Asiae mediae.

Alia plane via, quam qua illa incessit gens, ad suum cultûs modulum pervenerunt Asiae mediae incolae, Babylonii, Assyrii, Medi, Persae. Hi enim populi bellatores, regna condentes militaria immensa, multas quidem regiones atrociter vastarunt, attamen ingenii torpentis vim etiam in multis excitarunt populis; item gentes diversissimas coniunxerunt et inter has commercii valde fructiferi fuerunt auctores. Porro, praeter alios Sapientes, inter Medos exstitit Zoroaster, saeculo VI ante C. N., qui multas nationes, per omnem Asiam mediam et Occidentalem degentes, religione hisce hominibus aptissimâ, felicissime instituit.

§ 11.

Inter Aegyptios, Phoenices, Carthaginienses.

Aliâ rursus et laetiore viâ ad humanitatem progressae sunt gentes praecipuae, Maris Mediterranei in Asia et Africa accolae. Mercaturâ enim, per magnam sese extendente terrarum orbis partem, cum se ipsae excoluerunt, tum ab aliis bona multa didicerunt, denique quae invenerant et didicerant, quaquaversum sparserunt. Atque Aegyptii portus quidem suos diu peregrinis occluserunt, sed iam antequam eos aperirent, insignem faciebant mercaturam terrestrem. Phoenices, eorumque coloni Carthaginienses, mercaturae sese da-

bant utrique, terrestri et maritimae, plane immensae, atque in omnibus Maris Mediterranei insulis et oris colonias fundabant. Caeterum agriculturâ inprimis et architecturâ floruerunt Aegyptii, qui sacrorum suorum initia ab Indis videntur accepisse, eaque isti aevo et populo satis apta. Phoenicum vero maxima fuit industria, opificiis non minus quam mercaturâ conspicua; at ipsorum et Carthaginiensium religio diu fuit dura et immanis.

§ 12.

Cultûs inter Graecos origo.

Ex Asia et Africa in Europam transgressi, alium reperimus coelum, aliam gentium indolem. Primum invenimus Graecorum gentem, quae vetustioribus illis gentibus nullâ non re videtur excelluisse. Ingenio praedita sagaci, et in terra, maris impetu multis modis distractâ, vivens, in quam multi venerant Aegyptiorum et Phoenicum coloni, item solo satis fertili et coelo sereno fruens, iam antiquitus sese feliciter explicare incepit. Quod inprimis debetur bello Troiano, Graecorum tribus coniungenti, quo factum, ut mercaturâ, poësi, religione, societate, legislatione, iam ante bella Persica ad cultum haud exiguum processerit haec gens.

§ 13.

Cultûs inter Graecos progressio.

Longe vero ulterius progressus est hic cultus post bella Persica, quae non tantum coniunctionem et mercaturam Graecorum multum auxerunt, sed etiam omnem ingenii Graeci vim excitarunt, adeo ut abhinc florerent artes et doctrinae pene omnes. Virtuti vero et pietati promovendae inservierunt praecipue ars pulcra, poësis cum reliqua tum tragica, historiae enarratio, eloquentia forensis, qua veracissimus ille splenduit Demosthenes; omnium maxime philosophia, germana illa religionis Christianae praeparatio; quam laudem et aliorum philosophia meretur et inprimis Socratis, Platonis, Stoicorum.

§ 14.

Graecorum cultus per magnam orbis terrarum partem dispergitur.

Postquam in ipsa Graecia, praecipue Athenis, cultus hic laete effloruisset, eius semina, auctore Alexandro Macedone, qui, ut ambitioni suae satisfaceret, Persarum regnum diruit, per omnem Orientem sunt dispersa, et inprimis Alexandriae solum fertile nacta. Quod eo facilius succedebat, quo plures coloniae iam diu ante Alexandrum in Asiam et Africam a Graecis erant deductae. Coloniae Graecae etiam prima fuere causa cultûs Graecorum per Occidentem, inprimis in

Italia, efflorescentis; altera deinceps fuit Romanorum imperium.

§ 15.

Humanitatis Romanorum origo et propagatio.

Romanorum gens ex initiis minimis progressa orbem cognitum pedetentim subegit, adeo ut, quo tempore religio Christiana oriretur, soli fere Parthi in Oriente, Germani in Occidente ipsorum imperio resisterent. Nec tamen horum lingua et ingenium, quamvis sese per Occidentem propagaret, in Oriente Graecorum linguae et ingenio palmam eripere potuit. Bene vero iam de genere humano meruissent, si nihil ipsis gratum esset referendum, nisi quod e Graecorum cultu multa et ipsi recepissent et per omnem Occidentem dispersissent. Sed praeterea, humanitate iam maiore praediti, cum leges egregias dederunt, tum societate civili ac humana gentes diversissimas coniunxerunt.

§ 16.

Religionis et humanitatis inter Israëlitas origo.

Accedimus ad gentem plane a superioribus diversam, Israëliticam, quae, utut parva et a reliquis gentibus antiquis aut contemta aut ignorata, tamen non modo ipsa multum est exculta, sed etiam maiorem quam caeterae omnes in genere humano excolendo habuit vim. In orbis antiqui centro sedem suam ha-

bens, praestantiam suam partim debuit commercio cum omnibus pene orbis antiqui gentibus cultioribus, Aegyptiis, Phoenicibus, Babyloniis, Persis, Graecis, Romanis, e quorum cultu optima quaevis recepit; partim singulari Dei curae, hanc prae reliquis populis gentem excolenti religione verâ et praestanti. Effecit hanc Deus per Abrahamum, gentis patrem, ac Mosem, eiusdem institutorem. Hic gentem, in Aegypto paulum cultam, e servitute Aegyptiaca liberavit legibusque et institutis prorsus egregiis cum ipse feliciter excoluit, tum eiusdem ulterius informandae fundamentum firmissimum iecit. Huic fundamento inaedificarunt praecipue Samuel, qui populum coniunxit et erudivit, Davides, qui pacatum reddidit et emollivit, Salomo, qui gentem cum Phoenicibus coniunxit atque auream regni aetatem adduxit.

§ 17.

Earundem inter Israëlitas progressio.

Satis diu post hos Triumviros magis etiam floruerunt literae Hebraicae, longa oriente Prophetarum serie, i. e. oratorum poëticorum, qui, spiritu Divino acti, gentem cum ab idololatria, tum a nimia ceremoniarum existimatione ad pietatem et virtutem adducentes, germanam religionis Mosaicae indolem non modo servarunt, sed etiam ulterius explicuerunt. Deinceps, quum exsilio Babylonico imprudentiae et contumaciae poenas dedissent Israëlitae, liberius gentis ingenium multum quidem detrimenti cepit, quique abierant *He-*

braei petulantiores, sed et generosiores, redierunt *Iudaei* longe magis serviles: at vel sic tamen ipsius exsilii illius instrumento cum ab idololatria plane alieni facti sunt, tum, religionis Zoroastricae ope, ad sublimiorem patefactionem olim capiendam sensim sunt progressi. Denique, quum Maccabaeorum aevo, saeculo II ante C. N., Graecorum philosophia ipsis innotuisset, cum haec philosophia, tum bella, religionis suae tuendae causa feliciter gesta, effecerunt, ut antiquus gentis vigor in tempus reviviscere videretur.

§ 18.

Earundem conditio inter Israëlitas circa tempora Ecclesiae Christianae ortae.

Post Maccabaeos Israëlitae sive Iudaei, primum per Romanos genti Herodicae, deinde ipsis Romanis subiecti, tam origine ab Abrahamo ducta, quam lege sua Divina valde superbiebant. Qui inter eos erant cultiores, ad tres referri possunt classes praecipuas, *Sadducaeos*, *Pharisaeos*, *Hellenistas.*

Sadducaei, Hebraeismum omni commixtione purum servare conantes, soli Mosis legi sic adhaerebant, ut omnem progressum vitamque omnem spiritualem suffocarent.

Pharisaei singulis Codicis sui Sacri verbis atque adeo literis servire videbantur, quamvis privam Hebraeorum religionem innumerabilibus augerent interpretamentis, itemque bona multa e Zoroastre et Graecis in Iudaicum traducerent cultum. Utrique vero in

causa erant, ut plerique Iudaei externis ritibus religionem absolvi existimarent ac, suam gentem a Deo solam adamari putantes, regem exspectarent, qui ipsis de reliquis gentibus omnibus victoriam esset allaturus. Vel sic tamen pietas supererat germana et integra in multis familiis, quae Messiam exspectabant futurum et recipiebant praesentem vere coelestem.

Hellenistae, per universum fere orbem terrarum dispersi, ex consuetudine cum aliis gentibus mores longe faciliores contraxerant, et inprimis Alexandriae, uti Philo, ita alii Graecam philosophiam, cuius deliciis capiebantur, cum religione sua coniungere haud infeliciter studebant. Uti vero multum debebant Graecis, sic ipsi vicissim haud parum profuerunt Graecis aliisque populis melius informandis et Ecclesiae Christianae praeparandis.

Iudaeis in multis similes erant *Samaritani*, qui, etsi partim e Gentilibus essent oriundi, magis tamen quam ipsi Iudaei puriori Codicis Sacri doctrinae adhaerebant, sed paucis modo Libris Sacris utebantur Iudaeisque vehementer erant invisi.

Ex his Israëlitis in generis humani salutem Deus oriri fecit Iesum Christum, quem paulo antequam in publicum prodiret, brevi iamiam venturum et regni coelorum fore conditorem annuntiabat in Palaestina Prophetarum Israëliticorum ultimus, Iohannes Baptista.

§ 19.

Divinae generis humani institutionis recognitio.
A. *Generis humani pars institutionis Christianae nunc capax.*

Si cursum confectum iam uno obtutu remetimur, videmus genus humanum pedetentim ita praeparatum esse ad religionem Christianam recipiendam, ut, quo tempore haec annuntiaretur, magna hominum pars eius esset capax, indigens, cupida.

Primum quidem eius erat capax. *Societas* enim, quae antiquitus in Oriente modo erat familiarum et tribuum, porro orta est ibidem populorum integrorum, etsi non arcte, sed per regem tantum quasi patrem iunctorum; dum Graeci, ipsi fraterno modo arctissime inter se iuncti, deinceps Asiam cum Graecia sociarunt, atque tandem Romani omnem orbem notum legibus iustis pacaverunt et aliquam interdum augurati sunt spem generis humani universi coniungendi. *Religio* vetustissima, naturam Divinam ab adspectabili rerum natura omni haud diversam statuens, deinde in hac illam ita discrevit, ut primum astra, porro bruta, tandem homines perfectiores eosque in coelis degentes, tanquam Deos colendos esse iuberet; quod vulgo quidem ratione tantum fiebat externa, ita tamen ut sensim plures commendarent cultum, eumque unius Dei, talem, qui a sensibus remotus animo et mente contineretur. *Virtus*, quae antiquitus aut erat nulla, quia homo torpebat, aut civilis, quia civitas quaedam agenda iniungebat,

deinde hîc illic orta est moralis, quia lex moralis eam praecipiebat; denique inter Israëliticos Prophetas et Graecos Philosophos interdum religiosa, quia amoris vinculo cum Deo coniungendus erat homo.

Quae cum ita sint, videmus magis magisque cum societatis studia adeo increvisse, tum religionis sensum ita esse explicitum, tum denique virtutis notionem ita purgatam, ut tandem inter homines oriri posset Ecclesia Christiana, quae est *societas* generis humani universi, eaque *religiosa*, Deum pure colens, et *moralis*, virtutem observans integerrimam.

§ 20.

B. *Eadem vero eiusdem institutionis etiam indigens.*

Quamvis vero, uti aliarum gentium, sic inprimis Graecorum cultum Romanorumque humanitatem ac Iudaeorum religionem agnoscamus egregiam Ecclesiae Christianae praeparationem ac quasi solis iamiam orituri auroram, multum tamen abest, ut vel hisce gentibus, omnium maxime excultis et, quo tempore Iesus Christus nascebatur, primariis, religione Christiana non esset opus, atque iis quasi sol iam ipse esset ortus. Nam cum in aliis rebus, tum praecipue in iisdem illis, societate, religione, virtute, multa eaque gravissima desiderabantur. *Societas* enim non aderat, neque etiam cognoscebatur vere humana, sed modo civilis, uno imperio gentes diversas coniungens, neque in ea societate cives agnoscebantur servi, pauperes, feminae. Ubivis aderat *religio;* sed vigebat inter Gentiles poly-

theismus, qui, Divinas proprietates inter plures dividens ideoque non perfecte effingens, semper est noxius, neque satis valet ad animum emendandum hominemque perficiendum. Imo etiam religio erat reipublicae bene administrandae instrumentum, quare *virtutem* quoque nullam nisi civilem spectare potuit. Ergo superbia etiam regnabat civilis; servitus non modo erat usitata, verum etiam probata; pauperes feminaeque despiciebantur. Universe religio et virtus, uti ipsa civitas, cuius erant partes, fere nullas curabant res nisi sensibus obiectas.

Ex quibus omnibus liquet, illa cultûs humanitatisque initia, de quibus antea diximus, primum non omnium fuisse gentium, deinde etiam in his gentibus non ad omnes pervenisse homines, denique in his hominibus non omnes spectasse hominis facultates.

§ 21.

C. *Itemque cupida.*

Cuius vero institutionis melioris erat capax et indigens, eiusdem sub finem huius Aetatis praeparatoriae etiam erat cupida insignis hominum pars. Nam si accuratius respicimus illa ipsa tempora, quibus Ecclesia Christiana exstitit, videmus, gentes primarias, Graecam, Romanam, Judaicam, omnia nunc sua explevisse studia et ad interitum vergere. Perierat enim inter eas fere ubivis, Imperatorum Romanorum tyrannide, antiquum illud generosumque *civitatis* studium; perierat, philosophiae cultûsque increscentis vi, prisca *religionis*

fides; perierat, societatis universalis, omnes gentes amplectentis, semper progredientis effectu, avita gentium singularum vis ac *virtus.* Ex his omnibus vero causis animi vitaeque ubivis profluxerat pravitas, quam vix cogitando assequimur, unde perfectiori civitatis, religionis, virtutis formâ prorsus opus erat. Quod vero quum inter ipsas etiam gentes multi nunc penitus sentirent atque animi expiationem et emendationem vitaeque totius instaurationem vehementer desiderarent, eamque Poëtae et Philosophi optimi haud raro etiam vaticinarentur proximam, patebat, multos eousque progressos esse, ut antiquatam esse sentirent praesentem rerum omnium formam et religionis novae eiusque moralis et coelestis, ac regenerationis adeo, cuius erant capaces atque indigentes, essent quoque cupidi.

PERIODUS I.

A IESU CHRISTO AD CONSTANTINUM MAGNUM,

AB ANNO 1 USQUE AD ANNUM 306.

INITIA ECCLESIAE, EXTRINSECUS OPPRESSAE.

§ 22.

Periodi argumentum.

Quo tempore magna gentis humanae pars, instaurationis et regenerationis cum erat capax, tum indigens, tum etiam cupida, eam vero sibi ipsa procurare frustra quaerebat, ipsi largita est Providentia Divina Ecclesiam Christianam, quae, quotquot sint ubivis homines populique, hos perfectissimo modo institueret et plane bearet. Neque frustra. Quamvis enim, quod haec prima enarrat Periodus, in gente omnium maxime contemta, Iudaica, homo plebeius, in cruce mortem pas-

sus, societatis fuisset auctor, tamen eius asseclarum communio vi insitâ Divinâ sese continuo ulterius propagavit, atque, etsi adversarentur Iudaeorum et Gentilium Sacerdotes et Imperatores, saeculo IV ineunte iam per omnem orbem Romanum sese disperserat. Vera autem, integrà, simplex quum Ecclesia hisce temporibus universe esset, vim regenerantem haud parvam iam nunc exercuit, aliamque rebus multis indidit formam, alium multis hominibus animum.

De Ecclesiae conditore primisque eius ministris nonnulla praefati, deinde continuam eius historiam per saecula III priora sumus tradituri.

§ 23.

Vita conditoris Ecclesiae Christianae.

Natus videtur Iesus Christus, Ecclesiae Christianae conditor, anno ante aeram vulgarem tertio aut quarto, Bethlehemi, e gente Davidica, tunc paupere. Obscure educatus et in nulla institutus schola humana, ad trigesimum aetatis annum latuit, faber lignarius. Postquam vero, quum a Iohanne baptizaretur, declaratus esset Dei Filius, atque se in deserto muneri suscipiendo severe praeparasset, Palaestinam incepit peragrare, palam multa fecit miracula benefica, homines omnes, inprimis discipulos suos, instituit, neque se Messiam esse, his illisve dissimulavit. Brevi in procerum Iudaeorum, quos ob mores turpissimos studiaque porsus terrena increpabat, quique ei populi fa-

vorem invidebant, odium incidit gravissimum; cui, ubi per tres vel plures annos sanctissime in publico vixisset et gentis suae institutorem Divinum egisset, succubuit, ex iniusta sententia cruci affixus. At tertio die vivus resurrexit et brevi post in coelos abiit.

§ 24.

Eiusdem persona.

Multum vero abest, ut hunc Iesum Christum in hominum vulgarium numerum nobis referre liceat. Non modo eius natales, vita omnis, resurrectio e morte, abitus in coelos, tales sunt res, quibus nihil aequiparare possis: sed etiam omnis eius persona modum vulgarem longe excedebat. Erat enim non adeo Iudaeus, sed potius homo, isque nullo peccato contaminatus, ac sapientiâ, sanctitate, amore perfectus. Erat, ipso teste, Dei Filius, et Dei imago, illi perfecte respondens. Quare cum sit maior et excellentior, quam aut Dei incarnatio Indorum, aut Rex futurus Iudaeorum, aut Hercules Poëtarum, aut Philosophus Platonis, aut Sapiens Stoicorum, in ipso tantam re et facto videt genus humanum exstitisse perfectionem atque tam intimam naturae Divinae et humanae coniunctionem, quantam antea ne augurando quidem fingere potuerat.

Hîc vero situm est primarium discrimen non modo inter Poëtarum fictionem, sed etiam Prophetarum vaticinia ac Philosophorum doctrinam, atque inter Iesu Christi Ecclesiam, quod illa modo sint *idea*,

fictio, exspectatio, doctrina salutis, haec sit *res* in facto posita, societas hominum, personae perfectissimae Iesu huiusque legationi Divinae innixa, in qua societate salutem revera consequuntur, qui Iesu Christo sese confidunt, longe maiorem, quam id erat bonum, quod fingebant, docebant, exspectabant Sapientes illi.

§ 25.

Eiusdem consilium et opus.

Proposuit enim sibi hic Dei Filius, quod ante eum nemo, universum genus humanum sibi ipse reddere simile, ideoque ex erroris et peccati miseria ad sapientiae et sanctitatis beatitudinem perducere. Quod ut efficeret *Ecclesiam* condere incepit, quam vulgo dixit *regnum Divinum*, id est, societatem novam religiosam et moralem (§ 1, 19), eamque universalem et aeternam, atque omni commixtione civitatis liberam; patefecit Deum bene velle hominibus, ipsis omnia peccata condonare, ipsorum esse Patrem, seque Dei Filium coelitus venisse, ut de hisce rebus ipsos certissimos redderet; monuit, omnes iam homines debere et Deum unum, ut Patrem, et se quoque omnes invicem, ut fratres, diligere et adiuvare, omnique operâ vires intendere, ut, in unum coniuncti corpus, ipsius Iesu Christi spiritu animatum, e peccati veluti morte suscitati, ad μετάνοιαν perveniant ac vitam iam his in terris agant novam atque coelestem, eamque, quum ex his terris discedant, aeternam futuram.

Neque quae monuit, haec vel verbis tantum exposuit, vel etiam insuper morte firmavit, sed eadem illa primum suo in terras adventu, deinde institutione, vitâ morteque sanctissimâ, denique in vitam escensu coelestem, hominum quasi oculis subiecit et in ipsorum animum penitus insinuavit, ita ut non possent non excitari, illustrari, emendari, ipsum Christum velle sequi. Quod eo magis factum est, quo certius e Iesu vita, morte, resurrectione, eiusque persona et opere omni apparebat, Deum ipsum Iesu esse Patrem eiusque consilii auctorem ac causae patronum.

§ 26.

Primi Iesu discipuli.

Ut consilium suum assequeretur Iesus, nihil quidem scripsit: neque enim novam in scholis doctrinam, sed novum in genere humano spiritum informare voluit: sed *Ecclesiam* condidit, novum hominum corpus, spiritu Divino animatum. Quam ut conderet Ecclesiam, non modo universe tantum omnes, qui ipsum audire vellent, monuit, docuit, excitavit, verum etiam discipulos quosdam, inprimis duodecim Apostolos, elegit, sibi iunxit, vitiis purgavit, spiritu sublimiore imbuit, summâ curâ instituit, eosque, quum in coelos abiret, emisit legatos, qui hominibus ipsius res et consilium enarrarent et Magistri nomine societatem sanctam ex omnibus colligerent gentibus.

Neque hi Iesu spem fefellerunt. Ipsi Praeceptoris propositum magis magisque intelligentes, inprimis

postquam per spiritum sanctum, in Pentecostes festo effusum, nova societas Christiana inaugurata esset, quae intelligebant, magno ardore et inconcussa animi constantia primum Hierosolymis, deinde, vexatione per Iudaeos suscitatâ, ubique in Palaestina et eius confiniis multo cum fructu annunciabant. — Quam autem hac ratione societatem Christianorum congregabant, ea, Petro ac inprimis Iacobo adhaerens, nondum renunciaverat sacris Iudaicis, sed cum his coniungebat fidem in Christo collocatam. Attamen lis, de viduis orphanisque alendis, in causa fuit, ut publice prodiret elementum liberius Hellenisticum et mox orietur Stephanus, Pauli praecursor.

§ 27.

Paulus Apostolus.

Ecclesiam vero Christianam, recens conditam, vehementissime iam prae reliquis vexabat Paulus Tarsensis, vir doctus, sagax, indefessus, ardenti in hoc, quod verum habebat, studio raptus. At hic, repente ex rei Christianae hoste internecino eius fautor omnium excellentissimus factus, primum Iudaeis Christum annunciare est conatus, sed ab his repulsus ad Gentiles docendos transiit, et ab Antiochia Romam usque Ecclesias fundavit vel firmavit. Hoc autem viro, in paucissimis maximo, usa est Providentia Divina ad magis illustrandum plerorumque Discipulorum ingenium, quo universale esse religionis Christianae institutum penitus perspicerent, atque ita

corticem frangerent Iudaicum, in quo hucusque plerosque latuerat nucleus Divinus. Igitur Paulo etiam maxime debemus edictum illud memorabile, Act 15. At nunc quoque ortum est discrimen, postea infaustum, inter Christianos, qui antea Iudaei, et hos, qui antea Gentiles fuerant. Martyr deinde obiit diem vir praeclarus Romae, anno post C. N. 67.

§ 28.

Iohannes Apostolus et Patres Apostolici.

Reliquis Apostolis, quorum fata satis sunt incerta, diutius vixit Iohannes, qui, aetatem seriorem Ephesi degens, vitâ, scriptis, discipulis rem Christianam universam egregie adiuvit, eamque commendavit Christianorum cum Deo Christoque et inter se communionem, qua antithesis inter Iacobi et Pauli asseclas plane superabatur. — Cum ipso et post ipsum, anno fere 100 mortuum, inter Christianos auctoritate florebant ipsius et reliquorum Apostolorum discipuli, qui *Patres Apostolici* dicuntur, inter quos celebriores sunt Barnabas, Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, pietate vero magis quam eruditione conspicui, institutionisque Christianae puritate multum Apostolis inferiores.

§ 29.

Ecclesiae Christianae propagatio.

Postquam Iesus iacto Ecclesiae fundamento e terris

abiisset, eius Apostoli statim eam inter Iudaeos condiderant et mox per omne fere Romanorum imperium in urbes maiores propagaverant. Neque minori ardore hanc rem egerunt, qui post Apostolos Ecclesiae fuerunt doctores. Saeculo II florebant iam Ecclesiae in Asia Antiochiae et Edessae, in Africa Alexandriae et Carthagine, in Italia Romae, in Gallia Lugduni et Viennae, in regionibus inter has mediis multae. Sub finem huius Periodi magna pars incolarum imperii Romani nomen Christo dederat atque multae inveniuntur Ecclesiae florentissimae, inde a Palaestina usque in Britanniam; item initia fidei Christianae apud Persas, Armenios, Gothos.

Opportunitas huic propagationi laeta aderat in gentium, imperio Romano contentarum, coniunctione e militia, mercaturâ et literis orta, inprimis etiam in Iudaeis, per omne hoc imperium dispersis. Causa vero, cur tot homines religionem hanc acciperent, primaria sita erat in praestanti eius indole, menti humanae atque inprimis sensui morali et religioso (§ 19—21) plane satisfaciente, quae minus etiam scriptis, quam ipsâ Christianorum vitâ omnibus fiebat conspicua. Hinc facile explicatur, cum quod multi quasi sitientes ad hunc verae vitae fontem accurrerent, tum quod homines contemti et neglecti eum fontem omnium primi adirent, nempe servi, pauperes, feminae.

§ 30.

Eiusdem oppugnatio.

Hominibus plerisque diu Ecclesiae oppugnandae

causa erat terrenum ipsorum studium, illâ adhuc aetate in nimia civitatis aestimatione conspicuum. Atque Iudaei quidem eodem, quo Iesum et Apostolos erant persecuti, odio gravissimo in Christianos omnes correpti, quum, post Hierosolyma a. 70 iterumque a. 135 diruta, hos vexare vix amplius possent, eos insidiis et calumniis petere nunquam desierunt. Gentiles Christianos, pro Iudaeis habitos, initio despexerunt, neque vexarunt nisi imperantibus Nerone, a. 67, et Domitiano, a. 95, tyrannis crudelibus. At Traiani edictum contra collegia illicita etiam Christianis, quos iam a Iudaeis distinguebant imperioque Romano oppositos esse intelligebant, opprimendis ansam dedit, e quibus iam a. 116 martyr celeberrimus fuit Ignatius. Deinde bellum fuit continuum inter Christianorum monotheismum ac Gentilium polytheismum, qui cum imperio Romano arcte erat iunctus. In hoc bello gerendo pugnarum cruentarum auctores fuerunt nonnulli Imperatores Romani severiores. Sic praecipue Marcus Aurelius leges contra eos dedit, unde martyrio perierunt Iustinus a. 166, Polycarpus a. 169, multi Ecclesiae Lugdunensis et Viennensis socii a. 177. Gravissima vero orta est vexatio, eaque universalis, iubente Decio, a. 249, quae causa fuit, ut a. 258 adhuc periret Cyprianus. At a. 260 Gallienus religionem Christianam recepit inter licitas. Hinc publicus nunc erat cultus Christianorum sacer, indies eorum crescebat numerus, atque ad summos iam accedebant in imperio et aula ordines, quum repente oriretur vexatio altera universalis, prioribus omnibus longe gravior, admodum cruenta, auctore Diocletiano, a. 303.

Vexationes autem eae multos quidem Christianos ad polytheismum reduxerunt, sed et in illis omnibus, qui constanter Iesu Christo adhaerebant, et in ipsis Gentilibus vim valde beneficam habuerunt; unde Tertullianus iam observabat, martyrum sanguinem esse Ecclesiae semen.

Universe, quo magis innotescebat religio Christiana, eo vehementius improbabatur a plerisque Gentilibus, vitae terrenae, qua una frui quamque unam exhilarare studebant, gloriam omnem detrahi eique coelum peregrinum substitui, non ferentibus; item a plurimis Romanis civibus, religionem a civitate non seiungentibus. Hinc igitur fiebat, ut Christianos contemnerent multi cultiores; odio haberet vulgus, saepe etiam a Sacerdotibus excitatum; vexarent interdum Magistratus, sive ut plebis clamoribus, sive ut Imperatorum edictis satisfacerent. Nullos vero hostes magis metuendos nacta est religio Christiana, quam saeculo II Lucianum, religionis omnis irrisorem, et deinceps Philosophos aliquot Neoplatonicos, Celsum, Porphyrium, Hieroclem, alios, qui polytheismum et idololatriam, formâ novâ ideali instructam, aequalibus rursus commendare haud sine successu sunt conati.

§ 31.

Eiusdem commendatio.

Contra oppugnatorum vim et calumnias verbis scriptisque sese defenderunt, uti iam ipse Iesus eiusque Apostoli, sic Christiani posteriores. Qua re agenda

nulli celebriores sunt, quam qui solenni nomine *Apologetae* dicuntur. Horum agmen nobis ducit Iustinus Martyr † 166, qui, philosophiâ Graecâ imbutus, utrosque, Iudaeos et Gentiles, impugnavit. Sequuntur saeculo II, qui solos fere Gentiles refutarunt, Athenagoras, Theophilus, Tatianus, alii, qui Graece, Minutius Felix, qui Latine scipsit. Omnes hi, literis humanis, inprimis philosophiâ Platonicâ, instituti, cum ipsam religionem Christianam a praestantia, tum eius professores ab innocentia, prae philosophia et vita Gentilium commendare studuerunt.

Neque saeculo III, quo longe quam antea plures erant inter Christianos viri docti, defuerunt, qui ipsorum religionem scriptis suis tuerentur, inter quos eminent Origenes et Tertullianus, ille inter viros doctos Alexandrinos, hic inter Carthaginienses dux et antesignanus.

At horum omnium scripta, quamvis haud sint levia, a paucis Gentilibus lecta et parvo apud illos successu gavisa esse, ipsis vero Christianis multo magis profuisse videntur. Atque ita Christiani constantiâ, qua supplicia ferebant, amore, quo inter se erant iuncti, benevolentia et sanctitate, quam mundo praebebant experiundam, sui ipsorum et Ecclesiae suae Apologetae erant optimi.

§ 32

Christianorum inter se dissidia. — Iudaeo-Christiani.

Longe vero maior inter Christianos vitae moralis et religiosae erat convenientia quam doctrinae religiosae.

Neque mirandum, quod omnibus religionis Christianae professoribus non una semper et eadem esset de rebus Christianis doctrina et sententia. Nam quum ea sit, Deo moderante, mentis animique inter homines varietas et libertas, ut perfecta in re quadam convenientia nunquam inter ipsos inveniatur, nunc quidem inter Christianos adesse prorsus non poterat. Hi enim non tantum suo quisque modo de religione Christiana ratiocinabantur, sed etiam cum ex diversis gentibus erant oriundi, tum diversarum regionum incolae, tum denique antea aut Iudaei aut Gentiles, iam recenter Christiani; quare aliunde haud pauca et praecipue ex avita religione atque antecedente vivend ratione multa sibi priva retinebant. Ergo fieri non potuit, quin alii alio modo Divinum Iesu Christi spiritum ipsi acciperent et coram aliis interpretarentur. At hinc non tantum semper multum erat discriminis, sed, quum aut practica religionis Christianae indoles aut libertas Christiana nondum recte a plerisque intelligeretur, ideoque multi ad suum sentiendi modum reliquos pertrahere conarentur, saepe etiam dissidia magna inter Christianos exsistebant.

Gravissimum tale dissidium Apostolorum iam aetate oriebatur de lege Mosaica, quam, Petro et Iacobo innixi, ab omnibus Iesu sectatoribus observari volebant Christiani plerique e Iudaeis profecti, negligendam esse defendebant, ad Paulum provocantes, plurimi ex his, qui antea fuerant Gentiles. Pauli conamina adiuvit ipse Dominus; nam republicâ Iudaeorum, primum a. 70 iterumque a. 135 destructâ, maior illorum pars ad hos transiit. Vel sic tamen pars aliqua sepa-

ratas effecit sectas *Nazaraeorum* et *Ebionitarum*, hominum illiberalium, in Palaestina degentium, qui nec legis Mosaicae abrogationem ferre, nec coelestem regni Divini naturam percipere poterant.

§ 33.

Montanistae.

Alia etiam inter Orientales exstitit religionis Divinae forma humana, cum Iudaeo-Christianorum indole austerâ haud parum conveniens. Sententia est *Montanistarum*, qui, in doctrina theoretica caeterum fere nihil immutantes, triplicem discernebant religionis verae conditionem, puerilem sive Veteris Foederis, iuvenilem sive Novi Foederis, virilem sive Paracleti, quam ultimam nunc incipere dicebant ac iactabant esse initium perfectioris Ecclesiae Christianae conditionis, quae regnum Iesu terrenum brevi affuturum antecederet. Ideo vitae asceticae, ieiunio, coelibatui, martyrio, disciplinae severae valde studebant, atque se, homines *spirituales*, reliquis Christianis, hominibus *psychicis*, longe praeferebant. Sequebantur hi Montanum, cui post annum 150 Prophetam et Paracletum, a Iesu Christo promissum, sese iactanti, primum multi in Phrygia, deinde plures etiam in Occidente assenserunt; ex quibus omnibus nemo celebrior, quam Tertullianus, fervidus Montanismi patronus; nec tamen ideo ex Ecclesia eiectus, quum in Occidente Montanistarum non esset adeo secta, quam sententia et schola.

Attamen brevi post valde hanc Occidentalium etiam turbavit Ecclesiam, quod, Decio Christianos vexante, Romae quidem Montanistarum in lapsos severitatem probaret Novatianus a. 251, Carthagine vero ad lapsos recipiendos nimis faciles essent Confessores et Martyres.

§ 34.

Christiani e Gentilibus. — Gnostici.

Iudaeo-Christianis, anxiis et servilibus, oppositi erant Christiani multi e Gentilibus, homines liberiores et petulantiores. Magnus apud hos, quatenus in Oriente versabantur, cernitur theosophiae, Orientalibus propriae, cum religione Christiana commixtae, abusus; praecipue in *Gnosticis.*

Affuit autem horum sentiendi ratio jam antea inter ipsos Iudaeos quoque, Gentilibus affines, sive Hellenistas, praecipue Alexandrinos, itemque inter Samaritanos.

Gnostici Christiani saeculo I Ephesi praecipue habitabant, caput et antesignanum habentes Cerinthum, Iudaeo-Christianum, qui creationem Deo summo denegavit ac simul chiliasmi erat patronus. Item tum erant multi Christiani, qui Iesum modo *ἐν δοκήσει* corpus humanum habuisse affirmarent, unde *Docetae* sunt dicti; hi vero iam ab Iohanne sunt oppugnati. At saeculo II multae recensentur ipsorum Gnosticorum sectae, per totum Orientem dispersae. Quibus omnibus proposita fuit quaestio haec solvenda, *un-*

de sit malum? Cuius originem quum multi iam diu adscripsissent materiae, nunc Gnostici materiae creationem Deo bono tribuere noluerunt. Creatorem (τὸν δημιουργὸν) putarunt esse Deum longe inferiorem, Aeonem quendam, quem Iudaei colebant; horum religionem ideo una cum V. Foedere esse respuendam; venisse Christum Aeonem meliorem, ut homines, a Demiurgo et materia liberatos, ad Deum summum colendum reduceret; Gentiles addictos esse materiae, Iudaeos Demiurgo, Christianos Deo summo; tres itidem naturae humanae partes originem tribus his elementis debere, τὸ σῶμα materiae, τὴν ψύχην Demiurgo, τὸ πνεῦμα Deo summo.

Haec principia satis communia in scholis peculiaribus alii aliter explicabant. Aegyptii, inter quos eminent Basilides, Valentinus, Ophitae, Carpocrates, antiquam secuti Aegyptiorum mythologiam, docuerunt omnium rerum e Deo emanationem; Syri, Saturninus, Tatianus, Cerdo, alii, Parsismo magis affines, tenuerunt dualismum, sive duos esse Deos aeternos, alterum bonum, quem Christiani colebant, alterum malum, materiam; Marcion, Ponticus, praxeos quam philosophiae magis amans, tria putavit esse rerum omnium elementa, Deum O. M., Creatorem iustum, materiam malam, cuius dominus esset Diabolus. Caeterum hic maxime sibi proposuit, religionis Christianae praestantiam coelestem omnibus sordibus Iudaicis purgare. At Romae eodem saeculo medio II, quo ibi florebat Marcion, etiam scripta sunt vel denuo elaborata opera, quae *Clementina* dicuntur, Essenismi Iudaici et Gnosticismi commixtionem continentia. — Mores Ae-

gyptiorum interdum dissoluti fuisse dicuntur; Syrorum plerumque erant severi; severiores etiam Marcionitarum. — Quum per saeculum II et III floruissent, sensim Gnostici evanuerunt, ita ut medio saeculo VI nusquam superfuisse videantur.

Vitia huiusce sentiendi modi haec erant praecipua, quod historicam religionis Christianae indolem plane negligeret; item quod ne philosopha quidem eius esset ratio, sed theosopha, quae notionibus et ideis imagines et phantasmata substituit. Haec vero Gnosticismi erat vis salutaris, quod arti et doctrinae in Ecclesia paraverit locum, atque idealem et universalem religionis Christianae indolem contra particularismum Iudaicum servaverit et explicuerit.

§ 35.

Manichaei.

Forma religionis Christianae intelligendae, exponendae et observandae alia Orientalis auctorem habet Manetem, hominem Persicum, qui medio saeculo III floruit. Huius ratio commixtio est religionis Zoroastris et Christi, quae, etsi minor in ea inveniatur Iudaismi oppugnatio atque ad praxin potius, quam ad theoriam spectet, tamen in multis convenit cum Gnosticismo Syriaco. Etenim duo etiam illi sunt rerum elementa, regnum lucis et tenebrarum, sibi opposita, quorum pugnae hic mundus ortum suum debeat. Hominibus bonorum finis est, soli regno lucis esse addictos. Hunc illis comparare voluit Iesus,

qui corpore docetico e sole in terram descendit, cuius vero institutionem non intellexerunt et corruperunt quoque Christiani. At Manes iam est Paracletus, a Iesu promissus, qui eam iterum pure annunciat, cuiusque scriptis iam prae scriptis Apostolicis est utendum.

Non adeo haec doctrina, quam potius severior morum disciplina, a Manete introducta, effecit, ut, quum emitteret XII Apostolos aliosque discipulos, qui usque in Africam et Italiam homines docerent, hi multos Ecclesiae Manichaeae socios colligerent. Sed uti doctorem Persae trucidarunt, sic discipulos oppugnarunt Christiani Catholici, et vexarunt Imperatores Romani, qui Persica omnia habebant suspiciosa. Vel sic tamen in Occidente saeculo XII adhuc inveniuntur Manichaei.

§ 36.

Lites de Iesu Christi natura. — Monarchiani.

Philosophiae Graecae ac subtili illi, semper ulterius inquirere studenti, ingenio Graeco, quod per omnem Orientem sese propagaverat, quodque, cum Orientalium phantasia et de rebus Divinis statuendi audacia iunctum, iam inprimis religionis Christianae ideas dogmatibus comprehendere conabatur, debentur lites de Filii Dei natura, nunc iam ortae, sed per alteram Periodum longe acrius gestae. Nova enim et numquam visa, imo ne augurata quidem, erat illa Iesu Christi *Θεανθρώπου* apparitio, quam intelligere vole-

bant Christiani, necdum poterant. Rejectâ nempe Ebionitarum opinione, qui Christum tantummodo *hominem*, ac Docetarum, qui eundem tantummodo *Deum* aliquem habebant, jam praesertim quaesiverunt, quo sensu *Deus* putandus esset *homo* Iesus Christus. Qua de re duplex iterum erat sententia, altera, quam inprimis tenebant Patres Alexandrini, Iesum esse *τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον*, naturam Deo proximam, quae e Deo emanaverat; altera, quam illi contrariam protulerunt *Monarchiani*, unum modo Deum *μονάρχην* esse statuentes, Patrem vero, Filium, Spiritum tria habentes nomina unius naturae, tribus modis cogitatae. Celebres in his sunt nonnulli Graeco-Orientales, veluti, qui Romae etiam aliquamdiu vivebant, Praxeas, Theodotus uterque, Artemon; ac, qui in Asia floruerunt, Noëtus, Beryllus, Sabellius, Paulus Samosatenus. Hi vero, dogmatibus semper subtilius exponendis operam dantes, multis modis a se invicem videntur abiisse. Sunt autem fere omnes a plerisque Christianis habiti Haeretici, inprimis, quia Filii Dei praeexsistentiam negarent eumve Patri *ὁμοούσιον* affirmarent.

§ 37.

Schola Catechetica Alexandrina.

Tutiorem, quam illi omnes, iniverunt viam Christiani docti Alexandrini. Quum enim Alexandriae literae omnes valde florerent, mox etiam Christiani ibi degentes intellexerunt, sine doctrinarum luce stare

non posse rem Christianam, ideoque inprimis eruditâ opus esse Catechetarum sive doctorum Christianorum institutione. Igitur Catechetae futuri, virum aliquem doctum perpetuo adeuntes, auctores fuerunt, ut sensim sensimque oriretur *schola Catechetica.* Celebriores eius doctores fuerunt Pantaenus; Clemens † post a. 211, vir doctrinâ magnâ, sed confusâ instructus; Origenes † 254, Patrum forte omnium doctissimus, Apologiâ contra Celsum scriptâ clarus et inprimis de Sacrae Scripturae exegesi ac critica immortaliter meritus; Dionysius † 265, a pietate et eruditione laudatus.

Horum virorum doctrina undique petita, praecipue vero e Sacra Scriptura et Platone conflata, vergebat in idealismum, materiamque omnis habebat mali fontem; placita autem tradebat primaria haec: Deum esse spiritum perfectissimum, ejusque creaturarum omnium maximam ipsi proximam esse Logon; hominem esse liberum et debere eniti, ut perfectionem moralem consequatur; omnibus Christianis opus esse fide sive religionis doctrinâ stabili, perfectioribus etiam gnosi sive theologiâ philosophâ, verâ autem illa gnosi, oppositâ falsae gnosi Haereticorum.

Magno huic scholae cedit honori, quod eius eruditio cum pietate esset coniuncta; quod Sacram Scripturam grammatice interpretaretur, idque egregie, quamvis, Philonis exemplum secuta, eam etiam allegorice explicaret; quod tam religionis Christianae adversariis quam Christianis Haereticis mascule se opponeret, atque Ecclesiam utroque vitio opposito, uti an-

xietate Iudaeo-Christianorum, sic licentiâ Gnosticorum, una liberare vellet; quod ubique in rerum naturâ et generis humani historiâ reperiret Deum unum O. M.

Fama et vis huius scholae per plura saecula fuit immensa. Inprimis Origenes, institutionis oralis minus etiam quam scriptorum eruditorum ab ipso editorum causa, nactus est multos amicos et discipulos, sed et adversarios. Inter priores celebres sunt, praeter Dionysium Alexandrinum, Iulius Africanus, Gregorius Thaumaturgus, Pamphilus Caesareënsis; tum et Lucianus, qui Antiochiae scholam Alexandrinae similem, sed allegoricae interpretationi adversam, aperuit, ex qua deinde prodiit Arius. Atque omnes fere clariores saeculi IV et V doctores Orientales vel Alexandriae vel Antiochiae sunt instituti, unde liberior Alexandrinorum genius quaquaversum per Orientem sese expansit.

§ 38.

Doctores Carthaginienses.

Quae in Oriente diu apud Alexandrinos, ea auctoritas in Occidente saeculo III fuit apud Carthaginienses. In his Tertullianus primus auctor fuit, ut longe alius, quam in Oriente, sese explicaret genius, hominibus Romanis magis proprius. Quousque enim Christiani Occidentales utebantur lingua Graeca, Orientalium scripta legerunt et placita fere probarunt; at Tertullianus, Presbyter Carthaginiensis †

fere 220, qui ipse etiam antea Graece scripserat, de rebus pene omnibus Christianis Latine agere coepit. Erat in cogitando agendoque severus, acer Gentilium omniumque, a quibus dissentiebat, adversarius, Montanismi patronus, vir plane Romanus, qui et in Ecclesiam induxit formulas ex iurisprudentia et militia Romana desumtas. Praeterea Irenaeum, acerbum Gnosticorum hostem, secutus, traditionem Apostolicam fidei fundamentum habuit, atque a philosophia et gnosi cum falsa, tum et vera plane erat alienus. Primarius Tertulliani discipulus fuit Cyprianus, Episcopus Carthaginiensis, vir rebus gestis, pietate, martyrio a. 258 celeberrimus. Praeter hunc inter doctores Occidentales eminet etiam Lactantius, postea filii Constantini Magni praeceptor, † fere 330.

Hi tres viri hunc habent characterem communem, quod sint realistae ac vergant in materialismum, magisque ad actionem et disciplinam, quam ad inquisitionem et doctrinam sint compositi. Etenim credebat Tertullianus quidem, Deum corpus esse, affirmabant omnes, in aeternum damnandos quicunque non essent Christiani, terrenum Iesu regnum instare; tum et firmam fidei regulam urgebant et stabile Ecclesiae regimen legesque certas, a quibus recedere nefas esset: verbo, orthodoxiae firmae et disciplinae austerae adeo studebant, ut brevi non posset non interire omnis spiritûs Christiani in Occidente libertas.

Horum nempe trium virorum rationem deinde secutus est universus Occidens, quum parva esset aucto-

ritas vel Apologetae elegantissimi Minucii Felicis, qui tempore Marci Aurelii vixit, vel Arnobii, Rhetoris a philosophia haud alieni, qui tempore vexationis Diocletiani scripsisse perhibetur.

§ 39.

Ecclesia Catholica.

Quum vero haec essent inter Christianos discrimina et dissidia (§ 32—38), atque singulae sectae se longe puriorem Iesu et Apostolorum doctrinam tradere ventilarent, quam, qui cum ipsis non faciebant, plerique Christiani: his, ne vera Christi Ecclesia misere lacerata interiret, necesse erat efficere, quaenam germana esset Christi et Apostolorum institutio. Primus hoc significavit iam Ignatius, Ecclesiae coniungendae studiosus; magis vero idem sensit Iustinus Martyr, non modo Apologeta clarissimus, sed etiam contra omnes Haereticos sententiae Apostolicae vindex. Neque minus deinceps hoc intellexit Irenaeus, ex Asia minori oriundus, Polycarpi auditor, a. 177—202 Ecclesiae Lugdunensis Episcopus, vir severior, non adeo a Montanismo, quam a Gnosticismo valde alienus. Ut huic resisteret, libros *Contra Haereses* Graece scripsit, in quibus humanae philosophiae, quam omnium haeresium matrem habebat, opposuit doctrinam Christianam. Qualis autem haec esset, ei constabat cum ex scriptis Apostolicis, quae cum Vetere Foedere convenire affirmabat, tum ex traditione Apostolica. Ad hanc vero quum Gnostici quoque provocarent, Ire-

naeus veram Apostolorum traditionem efficiebat cum ex communi omnium Christianorum persuasione, tum inprimis ex consensu Ecclesiarum, quae ab Apostolis fundatae horum institutionem, aut ore traditam aut scriptis consignatam, accurate referebant. Atque harum Ecclesiarum doctrina quum ubique ipsi videretur esse eadem, communio Christiana, quae hanc tenebat, ab ipso aliisque vocabatur ἐκκλήσια καθολικὴ, id est *universalis,* opposita particularibus Haereticorum scholis et conventibus.

Fundamento, ab Irenaeo iacto, saeculo medio III praecipue inaedificavit Cyprianus, qui tam rebus gestis, quam libro *de Unitate Ecclesiae* conscripto, hanc, quae ipsi stabat inconcussa, omnibus inculcavit sententiam, „extra Ecclesiam hanc unam non esse salutem." Nec tamen unitatem putavit esse in consensu interno fidei et amoris sive animi, sed externo verborum et disciplinae sive obedientiae, ut adeo ne in minutis quidem rebus ab Ecclesiae Catholicae legibus recedere liceret. Sic vero ab Irenaeo erat diversus, ut quum hic unitatem voluisset doctrinae Haereticis oppositam, Cyprianus propugnaret Ecclesiae unitatem in disciplinae convenientia sitam, eamque Schismaticis oppositam. Etenim Latini, magis agendi et imperandi, quam inquirendi et disputandi studio dediti, longe minus theoriae, quam praxeos unitate sese coniungere conabantur.

§ 40.

Ulterior Ecclesiae Catholicae coniunctio.

Vix dici potest, quantam in Christianis habuerit vim notio Ecclesiae Catholicae explicata. Nunc enim longe arctius quam antea inter se coniuncti, scriptorum Apostolicorum, quae, quippe fortuito neque in totius Ecclesiae usum exarata, hucusque inter Ecclesias singulas dispersa erant, collectionem instituebant universalem. Haec vero quum oriretur, sensim quoque tamquam Novum Foedus Veteri est adiuncta Divinaeque auctoritatis honore insignita; quod primum factum videtur a Theophilo a. fere 175. — Item praecipua religionis Christianae dogmata, tanquam inconcussum fidei Christianae fundamentum, saepius conspectu quodam brevissimo contra Haereticos exhibebant Irenaeus, Tertullianus, alii, cuius rei illustre documentum est *Symbolum Apostolicum*, quod dicitur. — Porro in Occidente Ecclesiae Catholicae centrum iisdem habebatur Ecclesia Romana, quippe sola in toto Occidente ab Apostolis fundata. Cuius honoris pretium et vim sic brevi senserunt Episcopi Romani, ut a. 196 iam Victor cum Episcopis Asiaticis, et a. 256 Stephanus cum Cypriano disputantes, arrogantiam ostenderent haud ferendam. — Denique Ecclesiae ratio et indoles sensim plane immutari sinebatur. Nam quum Apostoli Christianos omnes declaravissent aequales, omnes *sacerdotes*, atque hi Ecclesias primaevas ordinis tantum causa ad Synagogae Iudaicae exemplar administrassent per Presbyteros, qui etiam

Episcopi dicebantur, adiunctis Diaconis et Diaconissis: nunc quo firmius Ecclesia Catholica stabiliretur, ad rationem antiquatam redibant Christiani et repetebant, qui fuerat Gentilibus et Iudaeis, ordinem sacerdotalem, sive *Clericorum* et *Laicorum*, ut vulgo dicebantur, discrimen oriri patiebantur.

§ 41.

Ecclesiae regimen.

Mox vero neque ipsi Clerici inter se aequales manebant. Prouti enim Israëlitarum tribus sacerdotalis habuerat Levitas et Pontifices, sic Christianorum Clerici dividebantur in Presbyteros hisque longe praepositos Episcopos. Episcopi autem ad imperii civilis rationem Ecclesiam regere mox incipiebant, ita ut quae primum fuerat democratica regiminis forma, paulatim in aristocraticam abiret. Nam quamvis hac quidem Periodo omnes adhuc Episcopi inter se iure aequales haberentur, tamen honore et observantiâ prae reliquis iam afficiebantur Metropolitani, sive urbium maiorum Episcopi, v. c. Antiochenus, Hierosolymitanus, Alexandrinus, Carthaginiensis, praecipue Romanus. Opportunitas huiusce inter Episcopos discriminis oriundi praecipua erat in Conciliis, quae exeunte saeculo II primum in Asia Minori contra Montanistas, deinde, Haereticorum et Schismaticorum numero et vi in dies crescente, saeculo III ubivis saepius cogebantur sensimque fiebant maiora. In ea vero sensim pauciores admittebantur Laici

minorisque habebantur Presbyteri, quum Episcopi Ecclesiae illius, quam regebant, personam ibi agere sibi viderentur. Erant autem iam saeculo III hae Synodi, in quas unius provinciae Episcopi, a Metropolitano convocati, coibant, quasi senatus reipublicae Christianae, per eam provinciam dispersae. Decreta vero sua literis secum invicem communicabant, ut una esset Ecclesia Catholica tota. Liquet haec rerum conditio maxime e schismate Felicissimi Carthagine, et Novatiani Romae a. 251 orto.

§ 42.

Sacrorum ritus.

Prouti Ecclesiae regimen per hanc Periodum satis est immutatum, sic quoque non iidem semper manserunt ritus sacri. Quae enim aevo Apostolico fuerat cultûs religiosi simplicitas, hanc posterior aetas sensim magis reliquit. Isto aevo ritus modo erant Baptismus et Sacra Coena, quae, etsi huic Agapae, sive epulae, a Christianis tanquam a fratribus et sororibus celebratae, essent adiunctae, atque etiam osculum pacis esset in usu, sine verborum aut rerum pompâ simpliciter administrabantur. Tum etiam illo tempore primum die Sabbathi in Ecclesia praelegebat, cui animus ferebat, V. Testamenti sectionem quandam; deinde Christiani illa die itemque prima hebdomadis die, qua Dominus e mortuis resurrexerat, convenerunt, verba facientibus solis Ecclesiarum

praepositis, qui deinceps V. Foederi praelegenda adiunxerunt Euangelia nonnulla et Epistolas Apostolicas, inprimis Paulinas, ac Barnabae, Clementis, Hermae, aliorum scripta, alibi alia. Prorsus novi quid erat, quod nunc inter ritus sacros locum quoque obtineret collectio donorum in usus pauperum, viduarum et orphanorum, quorum distributio erat penes Diaconos. Labente autem tempore cum Baptismo iungebantur variae ceremoniae superstitiosae, pro parte e Iudaeorum et Gentilium moribus desumtae; item dona ad conventus sacros allata, unde Sacra Coena et Agapae celebrarentur, iam multis Christianis similia videbantur sacrificiis vetustis. Uterque ritus, ac preces aliaeque res Ecclesiasticae, tandem quoque ex aevi istius indole mysteriorum modo tractabantur, ad quae celebranda Catechumeni et Lapsi per multos modo gradus admittebantur.

Sensim etiam plures dies festi novi celebrabantur, iique praecipuis Iesu Christi fatis dicati, sed partim cum Iudaeorum festis convenientes. Sic Pascha ad Christianorum consilium accommodabatur; erat autem aliis *σταυρώσιμον*, aliis *ἀναστάσιμον*, itemque aliis certa mensis, aliis certa hebdomadis die habebatur. Qua de re diu fuit dissidium grave, quod frustra componere Romae studuit Polycarpus a. fere160, et superbia audaci terminare conatus est Victor, Episcopus Romanus, a. 196, Ecclesias Asiaticas excommunicans. Porro celebrabantur Pentecoste a Christianis, Epiphania sive Iesu inauguratio per Baptismum, ac deinde etiam Natales Iesu eiusque Escensio in coelos. Ieiuniis quoque haud parum studebant, iisque diem Mercurii et Veneris

tandem constituebant. Sacra celebraturi convenerunt primo in aedes privatas, deinde saepe in sepulcra et speluncas, denique in aedes publicas, sub Periodi finem saepe iam splendidas.

§ 43.

Christianorum animus et vita.

E superioribus facile efficitur, tantam fuisse doctrinae discrepantiam, non modo Haereticorum inter se aut cum Catholicis collatorum, sed ipsorum inter se Catholicorum, v. c. Alexandrinorum et Carthaginiensium, ut nulla fuerit virorum eruditorum de rebus Christianis sententia et doctrina vere *Catholica* sive plerisque probata. At, quamvis diversissimis fieret modis, annunciabatur tamen Euangelium, vis Divina ad salutem omnibus credentibus, sive Catholicis sive Haereticis. Neque enim de fide, spe, amore, vita vere Christiana agebantur lites, quales erant de doctrina. Quid? quod nulla in re maior cernitur religionis Christianae vis salutaris, quam in hominum animo et vita prorsus immutatis. Quum enim, quo tempore in terras veniebat Iesus, vita gentium religiosa et moralis, quin et civilis, plane esset antiquata (§ 20, 21), nunc per vim huius religionis regenerantem prorsus revixerunt gentes. Novum ubivis inter Ecclesiae Christianae socios oriebatur veri studium, nova puraque virtus, atque quum antea terrena modo cogitare et agere soliti essent homines, nunc societas exstitit ex omnibus gentibus collecta, fraterno iuncta

amore, coelestia curans, veram agens et coelestem iam his in terris vitam. Quae omnia ne hostes quidem negare vel et tacere potuerunt, adeo ut ob temperantiam in rebus secundis, ob constantiam in adversis, ob amorem inter se invicem et erga hostes, ab ipsis Gentilibus summopere laudarentur.

Quae vero etsi ita sint, tamen non negandum est, antiquatum istud rerum externarum studium in Christianis nondum plane fuisse exstirpatum, unde etiam, quum humilis Iesu apparitio spem regni terreni fefellisset, hoc regnum per Iesu reditum instituendum, *chiliasmi* nomine, exspectabant plerique, atque externam in omnibus rebus practicis probabant rationem austeriorem, verae religioni et virtuti minime proficuam. Maxime haec cernitur in artium doctrinarumque Gentilium contemtu, in nimia communionis Ecclesiasticae existimatione, in severa disciplina in peccatores et lapsos exercita, eâque externâ, nunc iam emendationis internae locum occupante, in vita ascetica, ieiuniis, coelibatu magis magisque laudatis, in merito bonis operibus habito; nec non in nimio honore Confessoribus et Martyribus praestito, qui tantus erat, ut Martyres saltem tanquam heroas et naturas hominibus superiores suspicerent plerique, eorumque sepulcra venerarentur, prouti Gentiles aras et templa Deorum.

§ 44.

Periodi totius conspectus.

Ex universa huius Periodi historia apparet, eam

haud immerito inscribi posse, *Initia Ecclesiae extrinsecus oppressae.* Etenim Ecclesia, a Iesu et Apostolis plantata, mox in Oriente floret, inprimis Antiochiae et Alexandriae, item in Occidente, Romae, Carthagine, alibi: at non tantum maior hominum in Romano imperio viventium pars adhuc manet Gentilis, sed etiam quia *initia* sunt, Ecclesia ipsa nondum plane est Christiana, verum potius proselyta. Proselytae ideo palmariam virtutem pariter atque gravissimum vitium ostendit, nempe fervorem pro religione nova summum, sed et magnum in ea diiudicanda errorem. Etenim tantus est Christianis hac Periodo fervor, ut plerique, ne vexationibus quidem flagrantibus, a professione sua abducantur; sed etiam magnus adest error apud homines, qui, ex diversissimis orti gentibus atque aut religioni Iudaicae aut Gentili inde a teneris addicti, deinceps doctrinam vitamque Christianam potius anterioribus, quas extemplo seponere non possunt, opinionibus studiisque superinduunt, quam solam et puram accipiunt Eorundem societas, quia a civili Romanorum imperio *extrinsecus* opprimitur, intrinsecus insigni amore, tanquam una familia, est coniuncta. Quia est *oppressa*, luxuriam, superbiam, rerum nimis secundarum vitia, non saepe ostendit; sed potius simplex est, pura, virtutum magnarum exemplar; quamquam vexationes in causa sunt, ut bonis operibus nimium iam habeatur meritum inesse. Quia vero *Ecclesia Christiana* est, magnopere iam nunc valet ad genus humanum beandum. Multas enim cum hominibus, nec solis in eam receptis, sed etiam aliis, Iudaeis maxime et

Neoplatonicis, communicat ideas de Deo uno eodemque hominum patre, de vera virtute, de vera hominis coelestique vita. Tum et multos diversarum gentium homines eo adducit, ut naturalia omnium hominum iura agnoscentes, fraterno coniuncti amore, omnes simul Deum colant Patrem, idque non rebus externis, sed vera animi pietate. Verbo, iam fermentum sese praestitit generis humani, intus subverso religionis Iudaicae et Gentilis errorumque popularium fundamento et ideo antiquatae rerum humanarum formae novam substituens vim ac vitam Divinam, qua revixerunt gentes.

Per universam vero hanc Periodum non semper eadem est Ecclesiae conditio. Principio simplicior est et purior societas, deinceps, pluribus ad eam accedentibus sociis, doctrinae quidem copiâ crescit, at virtute minus evadit egregia: quin sub finem huius temporis libera quidem adhuc est plurimis aevi subsequentis vitiis; attamen in litium agendarum studio, non tantum contra Gnosticos, sed etiam de Monarchia et Logo, quibus se invicem ob diversam de his quoque rebus sententiam damnant et vexant, in pretio cum orthodoxiae, tum operibus bonis, tum denique ritibus statuto, praeterea in ordine sacerdotali, minime Christiano, et hierarchiae initiis, nunc conspicuis, omnium vitiorum, quae deinceps increverunt, semina iacta videmus.

Neque ubique eadem est Ecclesiae conditio; elementa enim peregrina, unde illa vitiorum semina remanent, aut sunt Iudaica, aut Orientalia, aut Graeca, aut Romana: atqui Iudaeis legis studium est pro-

prium, Orientales phantasiae indulgent, Graeci amant philosophari, Romani imperare. Ergo Orientalis theosophia et Graeca philosophia maiorem vim nanciscitur in Asiaticis et Graecis, praesertim in Alexandrinis; Romana dominandi cupido et Iudaica austeritas maxime in Occidente cum Romae cernitur, tum et Carthagine.

PERIODUS II.

A CONSTANTINO MAGNO AD MOHAMMEDEM,

AB ANNO 306 USQUE AD ANNUM 622.



ECCLESIAE PUBLICA IN IMPERIO ROMANO AUCTORITAS.



§ 45.

Periodi argumentum.

Longe aliam, quam superior aetas, nobis exhibet haec Periodus in imperio Romano Ecclesiae conditionem. Ex oppressa, quae huius initio adhuc est, iam primum libera evadit, deinde regnans, denique ipsa opprimens. Quod dominium sine magna ipsius commutatione nancisci non potest; quae eo etiam maior fit, quia Constantinopolis iam conditur, imperium Romanum mox in Orientale et Occidentale dividitur, hoc tandem a gentibus Germanicis prorsus deletur, denique gentes hae ipsae quoque se ante crucem prosternunt.

Enarrabimus primum hanc Ecclesiae, quatenus imperio Romano continebatur, commutationem, inprimis lites illas celebres, ibi iam tot actas, ut *Periodus litium* dici possit, quibus doctrinae et regiminis ratio ac rituum forma magis minusve alia sit facta. Quibus expositis deinde videbimus, quaenam Ecclesiae extra imperii Romani fines fuerint fata.

§ 46.

Religionis Christianae et Gentilis in imperio Romano de principatu certamen. — Illius victoria.

Ineunte hac Periodo flagrabat adhuc vexatio Diocletiani, quae, maxime auctore Galerio, tam erat atrox, ut iam *aera Martyrum* oriretur, a Coptis et Abyssiniis etiam nunc celebrata. Crisis vero ultimae, periculo plenae, nunc aderat tempus. Etenim cum duplex illa religio, Gentilis et Christiana, sibi invicem opposita in uno imperio pacate iuxta se subsistere omnino non posset, alterutrius interitus erat necessarius. Hunc Divina curante Providentia religioni Gentili paravit Constantinus, vir ingens, qui primum in multis, qui isto aevo erant imperii Romani Principibus unus, a. 306 Christianis concessit religionis exercendae libertatem, tum in ipsos benevolentiam sensim maiorem ostendit, tandem, adversario ultimo devicto, solus imperii dominus, se ipse a. 323 professus est Christianum Quod nisi ex animi sententia facere voluisset, ipsi,

ingenio et sagacitate multum valenti, vel solae rationes politicae agendum persuasissent. Unde factum, ut abhinc subditis quidem omnibus religionis, quam vellent, profitendae libertatem concederet, attamen persuasione et illecebris ad Christianam religionem amplectendam eos perducere conaretur.

Qui huic viro † 337 successerunt filii, legibus etiam et vi sacra Gentilia opprimere tentarunt. Maximum tamen mansit adhuc religionis veteris studium apud optimates multos, quorum magna pars, inprimis quae Romae et Alexandriae habitabat, etiam per Neoplatonicos in illud studium ferebatur. Tandem in tempus vicit iterum religio Gentilis per Iulianum Apostatam, qui philosophiae Neoplatonicae amore magno ductus, Imperator factus a. 361 religionem Christianam, in qua educatus fuerat, deseruit atque contumeliae et irrisioni tradidit. Nec tamen magna hinc rei Christianae clades orta est, quia contra aevi ingenium pugnabat Iulianus, ac brevi tantum regnavit ipse, eiusque successores, religionis Christianae asseclae, post eum mortuum usque ad Theodosium, a. 363—379, religionis cuiusvis exercendae libertatem denuo promulgarunt. Theodosius autem ille, qui Gothos vicerat et Haereticos oppresserat, sensim severiores contra sacra Gentilia leges dedit, ita ut iam saltem in Oriente et Graecia religio Gentilis illicita fuerit, eiusque vestigia iam a. 423 ibi modo pauca superessent; quae Iustiniano imperante, a. 527—565, plane interierunt. In Occidente vero, ubi debilior erat Imperatorum potestas, etiam sub finem huius

Periodi multi adhuc reperiuntur Gentiles, in desertâ Romanorum religione imperii Romani ruinae causam ponentes. Caeterum ex ipso *Paganorum* nomine, Gentilibus nunc dato, liquet, universe inter rusticos fere solos veterem religionem fuisse superstitem.

§ 47.

De litibus iam actis.

Victoriae fere continuae, quas inde a Constantini M. aetate de polytheismo reportabat Ecclesia Christiana, dum externam eius conditionem reddebant tutam et securam, effecerunt, ut intus sua ipsius viscera iam lacerare inciperet. Quae enim olim hîc illic dissidia inter Christianos oriebantur, illa vexationum metu aut facile componebantur aut saltem sopiebantur: quae vero nunc, haec nullo freno cohibita totum orbem Christianum turbis et odio implebant. Quod magis etiam factum est, quum Imperatores, qui Christo nomen dederant, ut scilicet lites brevi dirimerent, loco Synodorum provincialium nunc *Concilia oecumenica* sive generalia convocarent, horumque statuta auctoritate regiâ sancirent, adeo ut illis, tanquam imperii Romani legibus, cuivis civi esset obtemperandum. Institutum vero successu caruit. Novae continuo verborum et placitorum factae sunt distinctiones et simplex religionis Christianae, amorem et sanctitatem spectantis, doctrina in subtile Sophistarum systema, litium infinitarum matrem foecundam, est con-

versa. Nova semper Concilia, nova discrimina, turbae novae. Haec fuit totius huius Periodi tragoedia, cuius primus quasi actus est historia Ariana.

Sunt vero lites Arianae ac reliquae pleraeque prorsus Graecae. Antiquata enim erant dissidia Iudaeo-Christianorum; perierat scholarum Orientalium theosophicarum vis ac vigor; neque etiam Latinis, perpetua gentium Germanicarum incursione misere laceratis, multa erat litigandi opportunitas. At non perierant Graeco-Orientalium studia, in Monarchianis v. c. olim conspicua, nunc in Arianis aliisque repetita; atque Graeci non modo securius vivebant, quam Latini, sed per novam imperii Romani sedem, inter ipsos conditam, etiam vim maiorem acceperant. Quare triumphabat iam prorsus in Ecclesia ingenium Graecum, quo dogmata semper subtiliora cudebantur.

§ 48.

Lites Arianae.

Quae primum est exorta lis, uti reliquae paene omnes, iam retulit aemulationis et invidiae, quibus schola Alexandrina erga Antiochenam cruciabatur, specimina foeda.

Nempe Arius, vir acutus, in schola Antiochena, Aristotelico-Christiana, institutus, ut opinionem Monarchianorum effugeret, veterem scholae Alexandrinae doctrinam philosopham de Logo, omnium creatura-

rum principe, accuratius e Codice Sacro eruere incepit; qua in re agenda inprimis dogma de Filii generatione aeterna reiecit. Quod cum Arius, Presbyter Alexandrinus, non recte facere videretur Alexandro, Episcopo Alexandrino, viro superbo, non literato, Arii famae invidenti, hic Presbyterum suum, qui quum Episcopus fuerat eligendus, paene ei cathedram praeripuerat, haereseos accusavit et e communione ecclesiastica eiecit a. 321. Arius ad amicos aufugit Asiaticos, in quibus eminebant Eusebius uterque, Episcopus Caesareënsis et Nicomediensis, qui eum, sententiae probatae patronum, lubenter in communionem ecclesiasticam receperunt. Turbis hinc ortis tandem finem impositurus, Constantinus a. 325 Concilium Oecumenicum I Nicaeam convocavit, quo, inprimis etiam operâ Athanasii, nunc Archidiaconi, mox Episcopi Alexandrini, Arii sententia est damnata, quique ei favebant Clerici, dignitate et loco sunt pulsi. Formula sancita est, Filium esse e Patris substantia generatum eique *ὁμοούσιον.*

Hoc symbolum libenter accepere Occidentales, certum quid et stabile habere optantes, quo litibus de re abstrusa finis imponeretur: at Orientales, disputandi cupidi et Origenem, qui Arii praecursor videbatur, admirantes, metu tantum Imperatoris coacti, subscripserant Concilii sententiae. Igitur hi mox mediâ quadam inter opinionem Nicaenam et Arianam incesserunt viâ, voci *ὁμοούσιον*, quam quippe Sabellianam negabant esse admittendam, substituentes vocem *ὁμοιούσιον.* Ex coryphaei sui Euse-

bii, Episcopi Nicomediensis, nomine, hi primum dicti sunt *Eusebiani*, deinde ex sententia *Semi-Ariani.* Praeter has primarias multae etiam aliae sectae minores exstiterunt, vix numerabiles.

Neque Episcopi Orientales erant soli, qui a sententia Nicaena recederent; ipsa Imperatoris gens, quae primum Arium damnandum curaverat, sibi non constitit. Nam Constantinus et huius filius Constantius, quamquam nullo Concilio Nicaenum damnarent, deinde impense tamen Ario eiusque asseclis faverunt. Post Constantium vero a. 361 mortuum eadem omnibus fuit sectis libertas, usque dum Valens imperabat (364—378), qui ipse fuit Arianus et auctor, ut haec sententia quaquaversum in imperio Orientali propagaretur. Eodem tempore paene omnes etiam gentes Germanicae, quae religionem Christianam erant amplexae, eius formam sequebantur Arianam, unde in eo erat, ut haec in omni Ecclesia regnaret. Quod secus evenit. Nam tandem, postquam Catholici et Ariani se invicem crudeliter saepe vexaverant, Theodosius, ut imperium, hostium incursionibus liberatum, etiam opinionum discrimine purgaret, edicto imperatorio a. 380 iussit, ut omnes „Patris et Filii et Spiritûs Sancti unam Deitatem sub parili maiestate et sub pia Trinitate" crederent. Quam orthodoxiam aulicam ut Ecclesiae auctoritate confirmaret, a. 381 Constantinopolin Concilium convocavit II Oecumenicum, quo sententia Nicaena est repetita, additis nonnullis de Filii Dei naturâ humanâ atque contra opiniones de Spiritu Sancto recentiores, quae

habebantur haereticae. Deinceps ita omnes oppressit Theodosius sectas Arianas, ut post ipsum brevi evanuerint, neque amplius haberetur primarium religionis Christianae placitum, Iesum Christum, amore sancto plenum, venisse in terras, ut homines peccati miseria liberaret, nec primarium Christianorum studium, ut peccato liberi ac Iesu Christo similes fieri conarentur; sed palmarium putaretur hoc dogma, Athanasii et deinceps Augustini quoque auctoritate comprobatum, unum esse Deum, in cuius substantia tres sint personae, Pater, Filius ac Spiritus Sanctus, studiumque palmarium, hoc dogma ac quae inde pendebant placita, accurate definire et cum Ecclesia orthodoxa contra Haereticos tueri. — Prius vero quam haec fierent, a. 373 vitam difficilem et periculo plenam finiverat Athanasius, pater orthodoxiae, qui Divinam Christi naturam Patri aequalem constantiâ inconcussâ contra Arianos omnes defenderat.

§ 49.

Origenianae.

Quum Origenes primarius esset disquisitionis eruditae et liberae de re Christiana auctor, iam diu erant actae de Origenis orthodoxia lites, quae vero post sopitam disputationem Arianam longe vehementius sunt agitatae. Nec tamen adeo Ecclesias lacerarunt, quam potius nonnullos homines doctos vexarunt. Quum enim Epiphanius, in Cypro in-

sula Episcopus † 403, qui aetatem in refutandis erroribus degerat, etiam Origenem a. 394 haereseos accusare incepisset, hunc magno animi studio defendit Rufinus Aquileiensis † 410, qui Origenis et aliorum Graecorum operibus multis Latine reddendis nomen celebre est adeptus. Epiphanio succubuit Hieronymus † 420, cuius merita in Codice Sacro explicando sunt immortalia, sed qui ingenio magis et eruditione, quam animi constantia et integritate praestabat. Quare haereseos notam sibi inuri non passus, Origenis partes deseruit atque contra veterem amicum Rufinum scripta felle plena edidit. Hac rerum conditione usus est Theophilus, Episcopus Alexandrinus † 412, vir avaritia, superbia, audacia famosissimus, ut Episcopum Constantinopolitanum deprimeret. Qui enim nunc huius urbis sedem occupabat, maximi faciebat Origenem, Iohannes, scholae Antiochenae alumnus, vir inter aequales celeberrimus, quem posteri dixerunt *Chrysostomum*, quemque nescias, num vel ob ingenium sagax, vel ob animum pium, vel ob facundiam gravem magis suspicias. Contra hunc virum Apostolicum, propter ipsam excellentiam multis, inprimis Eudoxiae, Imperatoris Arcadii uxori, invisum, Concilium convocavit Theophilus a. 403 in Constantinopoleos suburbanum, quo eum in exsilium misit. Unde quum post triduum esset revocatus, mox iterum exsilio est mulctatus, in quo miseria oppressus obiit a. 407.

§ 50.

Nestorianae.

Qui Theophilo, avunculo suo, in cathedra Alexandrina successit, Cyrillus a. 412—444, ipsi audaciâ et nequitiâ non multum dissimilis, itidem invidiâ aemulâ observavit, qui nunc sedem Constantinopolitanam occupabat, Nestorium, virum probum, scholae Antiochenae eiusdem, cuius etiam Chrysostomus fuerat, discipulum. Mox eius opprimendi ansam dedit, quae erat inter Christianos de duabus Christi naturis opinionum diversitas. Quum enim Concilio Nicaeno constitutum esset, Filium esse eiusdem cum Patre naturae, atque Constantinopolitano, eundem e Spiritu Sancto et Maria virgine esse natum, nunc quaerere inceperunt Graeco-Orientales, nunquam disputando defatigati, quomodo Divina Filii natura cum homine Iesu se coniunxisset. In his Apollinaris, Episc. Laodicenus, symboli Nicaeni assecla, sic interpretabatur Iohannis dictum, *ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο*, ut Logon Divinum in corpore humano locum spiritûs putaret occupasse. Theologi Aegyptiaci utramque naturam modo ineffabili iunctam esse defendebant; Antiocheni alteram ab altera accuratius distinguebant. Quare ex his Nestorius negabat, Mariam recte vocari *Θεοτόκον*, *Deiparam:* Mariam enim non Divinae, sed humanae Christi naturae esse matrem, dicendamque *Χριστοτόκον*. At Nestorii sententiam, frustra ipso obtestante, ita interpretabatur Cyrillus, acsi duas in Iesu naturas separaret eiusque Divini-

tatis eeset hostis; dum plebis in eum excitabat odium, quod Mariae, nunc iam superstitiose cultae, videretur honorem imminuisse. Ideo, per Cyrilli fraudes et dolos, primum Romae et Alexandriae, mox a Concilio Oecumenico III a. 431 Ephesi, ante adventum Episcoporum Syrorum, est condemnatus et exsul misere periit a. 440. Litem vero omnem vix quicquam esse, nisi logomachiam, plerique post Lutherum viri liberaliores agnoverunt.

Concilii autem sententiae assentire cum multi Episcopi Orientales diu negabant, tum semper recusavit schola Edessena theologica, quae scripta Theodori Mopsuesteni aliorumque, haeresin Nestorianam continere accusata, condemnare et reiicere noluit. Quae constantia causa fuit, ut tandem a. 489 plane supprimeretur atque doctores et discipuli in Persiam aufugere cogerentur. Catholici hos vocarunt *Nestorianos*, se ipsi *Christianos Chaldaeos*, et in India, in quam multi ex Persia abierunt, *Christianos S. Thomae*. Hi diu religionis Christianae et cultûs Graeci notitiam per magnam Asiae partem, in Sinam et Tatariam usque, propagarunt, Arabes docuerunt literas atque etiam nunc haud parvo supersunt numero.

§ 51.

Eutychianae.

Quum vero deinde Abbas quidam Constantinopolitanus, Eutyches, Cyrilli sectator, huius sententiam in eum modum explicaret, ut diceret, duas, quae Christo fuissent, naturas per nativitatem in unam confluxisse, atque ideo cum Episcopo suo Flaviano litigare incepisset, Eutychem incaute excitasse et confirmasse videtur Dioscurus, Cyrilli in cathedra Alexandrina successor, a. 444—451. Flavianus invocabat auxilium Leonis, Episcopi Romani, qui honore hoc laetus libellum in illius favorem conscripsit. At Dioscurus contra veteris novaeque Romae Episcopum coniunctum pugnare haud est reveritus. Convocavit Concilium Ephesinum a. 449, quo Eutychem absolvebat, Flavianum damnabat, iis vero mediis utebatur vehementissimis, ut *Synodus latronum* diceretur, atque Flavianus vulneribus hîc acceptis non diu esset superstes. Brevi post a. 450 moriebatur Theodosius II, qui uti Cyrillo, sic Dioscuro faverat; iam vero iubente Marciano, novo Imperatore, Concilium Oecumenicum IV Chalcedonense a. 451 est coactum; quo Dioscurus ob multa crimina dignitate episcopali exuebatur atque Eutyches damnabatur. Constituta autem hîc est doctrina ecclesiastica, utramque naturam non esse confusam, sed inseparabiliter iunctam in una Iesu persona.

§ 52.

Monophysiticae.

At multum abfuit, ut et hoc Chalcedonense Concilium animos irritatos sedaret. Licet enim Occidentales gauderent, se non amplius opus habere de litibus subtillbus illis disputare, in Oriente tamen hoc, quod erat omnibus, disputandi studium, quaeque Episcopis primariis aemulatio invida, litium de Iesu natura nunquam finitarum manserunt causae perpetuae. Atque Aegyptii quidem, in sensum obscurum proni et Cyrilli sententiam tenentes, magis opinioni Eutychianae favebant, dum Antiocheni, notionum distinctarum semper cupidi, propius ad placitum Nestorianum accedebant; unde illi ab adversariis cum aliter tum *Monophysitae* dicebantur, hi interdum *Duophysitae*, plerumque *Catholici.* Saepius vero nunc Monachorum et populi de dogmatibus, quae non intelligebant, oriebantur seditiones atrocissimae, saepe Episcopi, et alii et praecipue Alexandrini atque Antiocheni, dignitate exuebantur et iterum induebantur, prouti alias aliter sentiebat aula imperatoria, quae mutabatur in horas.

Post saeculi integri disputationes multaque conciliandi conamina irrita, tandem Iustinianus, qui per ministros egregios de imperii hostibus reportaverat victorias ac ius Romanum in systema praeclarum redegerat, etiam Ecclesiae orthodoxiam constituere sibi proposuit. Igitur ex solio regio, uxore Theodora etiam stimulante, de orthodoxia Christiana leges

promulgavit. Formulam Monophysiticam, de qua diu vehementissime erat pugnatum, *Deus qui crucifixus es pro nobis*, in carmen ecclesiasticum recipi iussit a. 533; deinde in gratiam Catholicorum errores Origenis damnavit a. 543; mox vero scripta etiam Theodori Mopsuesteni, Theodoreti et Ibae, Monophysitis exosa, anathemate feriit a. 544. Quod ultimum quum probare nollet Vigilius, Episcopus Romanus, Iustinianus hunc Constantinopolin arcessivit ipsique assentire coëgit a 548. Denique pleraque sua decreta theologica sancivit per Concilium Oecumenicum V Constantinopolitanum a. 553, ipsi Imperatori plane obsequens.

Sed etiam Iustiniani conamina ad Ecclesiae pacem promovendam effectu caruerunt. Qui Graece non loquebantur, etiam Graecae orthodoxiae, ab ipsis non intellectae, sese submittere nec potuerunt, nec voluerunt. Ergo uti antea iam tanquam Nestoriani, sic nunc tanquam Monophysitae longe magis Orientales a Graecis Catholicis recesserunt et separatas per Aegyptum, Syriam, Mesopotamiam, Armeniam condiderunt Ecclesias multas. Quas hucusque superstites esse inprimis debetur Monacho Iacobo Barradeo, qui operâ indefessâ ipsorum lites intestinas sopivit, res ordinavit, hierarchiam instituit a. 541—578.

§ 53.

Lites Latinorum.

Uti quas superiore, sic etiam quas hac Periodo lites agebat Occidens, hae pauciores erant et

longe minus res abstrusas spectabant, quam de quibus Oriens disputabat. Nam quae Oriens de Iesu Christo τῷ Λόγῳ, Dei Filio, Deo, alterâ S. Trinitatis personâ constituerat, simpliciter recepit neque ulterius explicuit Occidens; quamquam saeculo V in symbolo pseudo-Athanasiano, *Quicunque vult salvus esse*, placita de Trinitate eâ pingui ac crassâ expresserit formâ, quae in Oriente non audiebatur. Quas vero ipse Occidens inquisivit, hae lites partim iam antea ortae erant. Ex Manichaeis enim, per Occidentem clam propagatis, in Hispania prodiit Priscillianus, qui ob opiniones haereticas Treveri a. 385 morte mulctatus est. Quod primum exemplum Haeretici, morte puniti, vehementer improbarunt fere omnes Christiani, inprimis Ambrosius, Ep. Mediolanensis, et Martinus, Ep. Turonensis. — Porro saeculi IV initio Carthagine e dissidio parvo, an Caecilianus quidam iure Episcopatum gerere posset, horrenda orta est factio *Donatistarum*, qui hoc proposito se ab Ecclesia Catholica separarunt, ut (Montanistis ac Novatianis similes) *puram* constituerent Ecclesiam; sed ob perversam causam suam, Constantino imperante, iam iterum iterumque sunt damnati. At ne Imperatorum quidem legibus et militibus cessit factio, per saeculum IV Africam vastavit, neque prorsus est exstincta, nisi cum ipsa religione Christiana in Africa per Muhammedanos deleta.

Longe tamen magis totum Occidentem turbarunt lites de praedestinatione et gratia, quarum haec origo. Pelagius, Monachus Britannus, Romae degens, vir pietate apud omnes conspicuus, ut virtutis nimis

neglectae studium incitaret, libertatem humanam valde urgebat; docebat, non esse homini peccatum naturale, sed potius naturalem quandam ei esse innocentiam; homini licere malum et bonum eligere; bonum eligenti auxiliari gratiam Divinam. De hisce placitis nihil adhuc constituerat orthodoxia ecclesiastica. Quum igitur Roma relicta Pelagius peteret Palaestinam, Coelestius, ipsius discipulus, adiret Carthaginem, ille quidem libere placita sua docuit. Graeco-Orientales enim, qui similem semper de morali hominis libertate foverant sententiam, ac de malo morali pneumatologice, non anthropologice agere amabant, hanc naturae humanae inquisitionem non tanti aestimabant, de qua litigarent. At Coelestius quum Carthagine Presbyteri munus ambiret, primum a Concilio Carthaginiensi a. 412 propter opinionem haereticam communione Ecclesiastica est eiectus, et deinde saepius in universo Occidente una cum amico et magistro Pelagio est condemnatus. Vel sic tamen Oriens primo Pelagium a. 415 bis haereseos culpa liberavit, litem vero mox dixit occidentalem, quam ad Episcopum Romanum detulit, tandem a. 431 in Concilio Ephesino cum haeresi Nestoriana confudit ac simul damnavit.

Nemo his omnibus Haereticis, Manichaeis, Donatistis, Pelagianis fuit adversarius acrior quam Augustinus, primum ipse Manichaeus, deinde Platonicus, denique Christianus, atque a. 395—430 Episcopus in Numidiae urbe Hippone, vir dialectica subtilitate, scriptis quam plurimis, ardore indefesso conspicuus, vitâ dissolutâ primum famosus, deinde severâ et

piâ celeberrimus, qui maiorem quam reliqui Patres omnes in Ecclesia Latina habuit vim et auctoritatem. Inter Haereticos sic egit cum Manichaeis, ut haud paucis melioris sententiae esset auctor. Contra Donatistas horrendum illud excoluit principium: *compelle intrare.* At omnium acerrime aggressus est Pelagium, contra quem scripta primum mitiora, deinde duriora edidit, quorum sententia huc redit: per Adami peccatum a Deo, vitae suae spiritualis fonte, recessisse genus humanum, atque hac culpâ tam corruptam esse naturam humanam, physicam et moralem, ut nullum nobis, a Deo remotis, sit liberum arbitrium nisi ad male faciendum; ex hac autem perditionis massa Deum consilio secreto, neque intelligibili, decrevisse nonnullos per Christum ad se reducendo servare, caeteros miseria non liberare, sive pati ut caeteri in sempiternum damnati maneant; gratiam igitur Divinam modo irresistibili agere, sed in solis electis.

Hanc opinionem Occidens, semper dependentiae humanae tuendae studiosus ac iam inde a Tertulliano duriori doctrinae assuefactus, primum accepit totus; sed deinde magna eius pars ab ea recessit, et mediâ inter Augustinum et Pelagium processit viâ, praeeuntibus Monachis Massiliensibus, hominibus doctis, in quibus eminebat Iohannes Cassianus, Chrysostomi discipulus, pietate, amore, moderatione insignis; qui hominem in praesenti hac conditione naturali describebant morali sensu *aegrotum*, dum Pelagius eundem habuerat *sanum*, Augustinus *mortuum.* Dicti sunt hi deinde *Semi-Pelagiani*

et inprimis in Gallia floruerunt, ubi etiam litibus novis dederunt ansam. Neque tamen hae valde acerbae fuerunt; etenim quum invasiones gentium Germanicarum omnes in Occidente lites theologicas brevi exstinguerent, Vincentii Lirinensis, Semi-Pelagiani, *Commonitorium pro Catholicae fidei antiquitate et universitate*, a. 434 scriptum, tanquam doctrinae Catholicae expositio sincera, ubivis est probatum ac receptum.—In placitis vero Catholicis insignem hîc etiam occupabant locum, quae agebant de Iesu ad inferos descensu, de purgatorio, de poenis aeternis ac de chiliasmo.

§ 54.

Literarum et eruditionis inter Christianos conditio.

Partim hisce litibus infinitis ipsis, partim securae et certae Christianorum conditioni civili est adscribendum, quod nullum fuerit ante Ecclesiam saeculo XVI emendatam aevum, quo universe ita floruerit apud Christianos eruditio, uti priore huius Periodi parte, qua Patres celeberrimi plerique vixerunt. Primarium huius eruditionis consilium erat, Codicem Sacrum inquirere et exponere; quod eo melius fieri potuit, quo certius, post privata Eusebii conamina, publica Ecclesiae auctoritas in Concilio Laodiceno a. fere 363 canonem Novi Foederis constituisset atque hoc Novum Veteri Foederi adiunxisset.

Eruditionis huius sedes in Oriente tres inprimis erant scholae illustriores, quae doctrinam Graecam

ad religionem Christianam applicabant. Prima est *Alexandrina*, grammatica et allegorica, mystica etiam et saepe mysteriorum amans, Platonem maximi faciens et Origenem, quae floruit usque ad Didymi mortem a. 395. Ex ea prodierunt Eusebius Pamphili, historicus celeber, idemque Apologeta et Sacrae Scripturae interpres † 340, Athanasius (§ 48), Basilius Magnus † 379, Gregorius uterque, Nyssenus † 394 Basilii frater, Nazianzenus † 390 eiusdem amicus, qui triumviri eruditione, pietate, facundia valde erant conspicui; adiungi potest doctus, mitis ac sincerus Isidorus Pelusiota † fere 440. — Altera schola *Antiochena*, Alexandrinae filia, historico-exegetica, praxeos quoque et eloquentiae studiosa, etiam maximi fecit Origenem, sed, Aristotelem Platoni praeferens, huius allegorias reiecit. Eius auctor erat Lucianus (§ 32) a. 311 martyr; discipuli celebriores, Arius (§ 48), Chrysostomus (§ 49), Theodorus Mopsuestenus † 429, qui ab Orientalibus Interpres dicitur, Theodoretus † 457, alii interpretes, praecipue Novi Foederis, egregii. — Tertia *Edessena* (§ 50), ab Antiochena non multum diversa, nisi quod Syriaca utebatur lingua. Eam illustravit inprimis Ephraim Syrus, Syrorum Propheta † 378.

Caeterum hoc etiam tempore fictitia Dionysii Areopagitae scripta innotuerunt et mysticismum propagarunt; atque praeter hos in doctoribus Orientalibus eminuit quoque Epiphanius (§ 49), qui tamen, quum maxime traditionem sequeretur, Occidentalibus similior est. Nam uti superiore, sic etiam hac Periodo Latini traditionem adamarunt prae eruditione,

unde nulla quoque ipsis erat schola Theologica. Fuerunt tamen vel sic in hisce, qui maximi facerent Origenem, Ambrosius, Episcopus Mediolanensis † 397, Rufinus ac Hieronymus (§ 49); praeter quos clari etiam sunt facti Augustinus (§ 53), Cassiodorus † fere 562, Boëthius, Philosophus † 525, Papae Romani Leo et Gregorius (§ 56).

Quum vero in Oriente omnes de orthodoxia ecclesiastica ac de dogmatibus subtilibus litigarent, in Occidente perpetuis gentium barbararum incursionibus omne interiret imperium Romanum, omnisque, qui olim in eo fuerat, morum cultus et literarum flos sensim evanesceret, quumque, verbo, ubivis periret antiqua vita civilis Graeco-Romana, literarum et doctrinarum mater et nutrix, in Oriente post Chrysostomum, in Occidente post Augustinum magis magisque inter Christianos decrevit doctrina germana; adeo ut mox fere nihil nisi ineptiae dogmaticae aut fabulosa Chronica et exegeticae Catenae conscriberentur.

§ 55.

Clericorum auctoritas.

Cum publica Ecclesiae in imperio Romano auctoritas, tum modus, quo lites innumerae illae ad exitum quemcunque ducebantur, maximam habuerunt vim in Clericorum et maxime in Episcoporum conditione immutanda et potestate augenda. Etenim publica illa auctoritas effecit, ut aevi istius ingenium

nunc Ecclesiam quoque penitus occuparet et multum immutaret. Hoc autem ingenium, maxime post Diocletianum et Constantinum, multa in se receperat elementa Orientalia, unde magnam partem videtur explicandum, quod nunc honos ille insignis, qui in Oriente solebat haberi Sacerdotibus, transferretur in Clericos Christianos, iam vestitu quoque splendido distinctos. Porro diu iam destitutus fuerat orbis Romanus libertate publica. Post Imperatorum tyrannidem populo non amplius erat vel magistratuum electio, vel legislatio, vel iurisdictio, vel etiam de rebus publicis oratio libera. Has habebat Ecclesia; Ecclesiam igitur omni studio et ambitione amplexus est orbis Romanus; *Ecclesia* huic aevo exstitit, quod vetustiori fuerat *Respublica*. Maximo habebantur honori reipublicae huius novae rectores et ministri, in quorum ordinem evehi bonorum erat finis. Hanc existimationem et libertatem vulgo eripere Ecclesiae nec voluerunt nec potuerunt Imperatores, etsi in Episcopis primariis et Conciliis oecumenicis idem exercebant arbitrium regium, prorsus Orientale, quod in republica regunda sequebantur. Igitur sedium maiorum Episcopos nunc nominabant, nunc tollebant, atque, uti ad magistratus civiles, sic ad illos decreta sua mittebant exsequenda. Hac autem ratione quum eos quasi suos in rebus ecclesiasticis haberent ministros, magnum quoque ipsis, Constantino etiam praeeunte, exhibebant honorem, iura egregia concedebant, divitias immensas largiebantur.

Neque minus quam aevi ingenio atque Imperato-

rum arbitrio et favore crevit Episcoporum dignitas Conciliis istis oecumenicis, quibus lites ecclesiasticae componerentur. Quanti haec Concilia essent ponderis, iam ostendit primum, Nicaeae a. 325 habitum. Neque enim hîc modo haeresis Ariana est diiudicata, sed etiam schisma Meletianum, e severiore erga Lapsos disciplina in Aegypto a. 306 ortum. Porro hîc coelibatum Clericis imponere voluerunt haud pauci, quibus feliciter restitit Paphnutius, Ep. Aegyptiacus. Tum etiam hîc Paschati quotannis celebrando dies certus hebdomadis est constitutus, damnatis Quarto-Decimanis. Denique Episcopis, qui Romae, Alexandriae et Antiochiae erant, auctoritas suprema hîc est concessa.

In haec Concilia Episcopi iam convenerunt spiritu sancto, ut putabant, ducti, neque ut antea a Christianis missi, sed tanquam Christianorum tutores et patres, unde iam ipsi Divina auctoritate omnes res constituere sibi videbantur; ac nova, inde a medio saeculo V, ipsis auctoribus oriebatur legislatio ecclesiastica, quod *Ius canonicum* dicebatur et aeque habebatur infallibile ac Codex Sacer ipse. Mox non modo Laici illorum evaserunt servi, sed etiam Clerici, qui Episcopis erant inferiores, nihil nisi horum ministri. Episcopi enim soli in Conciliis sententiam ferebant, soli bona ecclesiastica, quae iam lautissima incipiebant esse, administrabant; praeterea saeculo IV Episcopos rure degentes, *Χωρεπισκόπους*, tollebant et pro his in Ecclesias minores illas rure inveniundas mittebant Presbyteros; Clericos omnes pro lubitu nominabant hosque et Episcopos soli

Episcopi sacerdotio initiare sive *ordinare* poterant; decimas, prouti tribus Israëlitarum sacerdotalis, sibi conquirere incipiebant; lautissime vivebant; cathedram, quam in templis habebant eminentiorem, *thronum* dicebant; supra maiestatem regiam se aliquando efferebant, seque dicebant successores Apostolorum et Christi vicarios.

§ 56.

Episcoporum inter se discrimen.

Neque tamen ipsi Episcopi inter se amplius erant aequales. Ex illis enim, qui antea omnes fuerant *Dioecesani*, initio huius Periodi nonnulli iam dicebantur *Metropolitani*, quorum rursus erant praecipui trium urbium Europae, Africae et Asiae maiorum, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, quique deinde his quartus accessit, Constantinopolitanus. Hi singularum provinciarum dioeceses sibi subiecerunt, atque secundum civilem imperii Romani formam administrarunt. Ita tot fere exstiterunt quasi respublicae Christianae, quot erant Romani imperii provinciae, quibus singulis Synodi provinciales erant quasi senatus, praesides Episcopi Metropolitani; e quibus vero quatuor illi, Alexandrinus, Antiochenus, Romanus, Constantinopolitanus, iam *Patriarchae* nomen, olim omnibus Episcopis commune, sibi solis vindicare conabantur. Inceperunt igitur nunc Episcopi triplici gradu distingui, tanquam vulgares sive Dioecesani, his praepositi Metropolitani, omnium principes Patriarchae.

His autem Patriarchis Concilia oecumenica egregiam praebebant occasionem semper pugnandi, quisnam reliquis maior esset evasurus. Initio hoc omnium maxime successit Alexandrino (§ 48—51); at quum hic et Antiochenus litibus Monophysiticis deinde valde debilitarentur, certamen de principatu Patriarchis Romano et Constantinopolitano relinquere debuerunt. Horum vero neuter unquam alterum sibi subiecit, etsi Romanus longe maiorem in Occidente usurparet auctoritatem, quam in Oriente acquirere poterat Constantinopolitanus. Dum enim hic semper premebatur vicinitate Imperatoris, Romano, quum res post imperium Occidentale a. 476 dirutum valde ibi essent turbatae, atque ipsius auxilium saepe a factionibus Orientalibus invocaretur, semper erat opportunitas potestatis suae continuo extendendae. Inter celebriores sedis Romanae Episcopos, qui hac opportunitate egregie sunt usi, fuerunt Leo I a. 440—461 et Gregorius I a. 590—604; uterque non solis rebus gestis, sed etiam scriptis clarissimus, neque immerito *magni* nomine insignis.

Caeterum omnis haec Patriarchae Romani auctoritas observantiae, non iuri debebatur; quare et multi in ipsa Italia Episcopi, v. c. Mediolanensis, Ravennensis, Aquileiensis, tum et plurimi Galli et omnes Africani ab ipso pendere fere semper plane recusarunt.

§ 57.

Sacrorum ritus, Christianorum superstitio, exercitia pia.

Qui superiore Periodo simpliciores plerique fuerant Christianorum ritus, ita ut Sacra fere sine splendore peragerentur, nunc, una cum publicâ Ecclesiae in Romano imperio auctoritate, valde sunt immutati. Iam enim pompa et opulentia in Sacris Christianis orta est magnifica illa, quae, ex Oriente traducta, iam diu orbem Romanum occupaverat, antea Gentilium religioni celebrandae adhibebatur, nunc recenter Christianis admodum erat grata; unde Sacra Gentilium (in quibus non religio, sed ceremoniae erant res praecipua) tandem prorsus videntur ideo desiisse seorsim celebrari, quia recepta erant in Ecclesiam. Quum nempe Imperatores Christo nomen dedissent, mox iam a Constantino aedes sacrae multae, eaeque splendidae, sunt exstructae; a Theodosio I templa Gentilia in Christiana sunt immutata; a Iustiniano superba Sophiae Basilica, ab aliis multae aliae aedificatae, quae vulgo ad modum templi Hierosolymitani in *πρόναον*, *νάον* et *βῆμα* erant distributae, ac nunc non modo cereis, thure, altaribus, aqua lustrali, sed quoque iam imaginibus Iesu et Sanctorum ornabantur. Nam ars, antea Christianis profana habita, nunc ipsis valde placuit; adeo ut vel has imagines interdum iam adoratione honorarent. — In hisce templis die Dominica, quam Constantinus iam lege declaraverat festam, Cleri-

corum superiorum et inferiorum numerus infinitus inveniebatur, Sacris splendide agendis occupatus; tum et cantus excolebatur, quod in Occidente praecipue Ambrosii et Gregorii opera factum est. — Multos cum Baptismo, quem necessarium ideoque iam infantibus impertiendum esse, post Augustinum omnes crediderunt, coniungebant ritus supervacaneos; item cum Sacra Coena sive sacrificio Missae, in qua corpus et sanguinem Iesu adesse putabant, et cuius vim etiam mortuis prodesse, inprimis docuit Gregorius Magnus, qui ideo quoque doctrinam de purgatorio expoliebat. — Magna etiam reverentia prosequebantur crucis signum, postquam Constantinus ei victoriam debere, huiusque mater Helena veram Iesu crucem invenisse dicebatur.

Sed nulla res magis Christianorum animos occupabat, quam veneratio Martyrum et Sanctorum, quos nunc, Gentilium apotheosin repetentes, tanquam Heroas et Semi-Deos colebant. In horum enim sepulcris ubique templa exstruebant, horum corpora et reliquias conquirebant, magno pretio vendebant, miracula facere putabant; his hominibus templa dicabant; hos sibi patronos eligebant; hos penes Deum pro ipsis intercedere autumabant; denique hos, acsi essent Dii, precibus adibant. Sanctorum agmen post lites Nestorianas duxit Maria *Θεοτόκος*, Mater Dei, cuius virginitatem perpetuam inprimis Monachi extollebant. Pantheon, quod olim Romae Iovi et omnibus Diis consecraverat Agrippa, nunc (a. 608) dicabatur Matri Dei et omnibus Martyribus. — Vix necesse est monere, nunc sponte

quoque Angelorum exstitisse cultum, neque vel ipsum monotheismum inter Christianos servari potuisse, quum pene omnes, ad polytheismum vetustum redeuntes, praeter Sanctos Angelosque sive Deos innumeros, vel ipsum Deum summum colerent triplicem, vel etiam pro uno Deo summo tres Deos summos, unde hi non sine causa ab aliis *Tritheistae* appellabantur.

Multa ex hac superstitione etiam oriebantur exercitia arbitraria, quibus se Deo gratissimos fieri sibi persuadebant. Eminent in his ieiunia, quae praecipue ante Paschatis festum longa et severa celebrabantur; peregrinationes in terram sanctam, quae post Helenam multae suscipiebantur; coelibatus, qui ubique laudabatur et in Occidente Clericis imponi solebat aut ab opinione vulgari aut a lege ecclesiastica; bonorum Clericis et Ecclesiis, maxime in testamentis legatorum, donatio; denique vita Monastica, quae vero tanti res est ponderis, ut peculiari explicatione indigeat.

§ 58.

Monachi.

Postquam Paulus quis, ut vexationem Decianam effugeret, et deinde Antonius, quem omnes tanquam virum magnum et sanctum admirabantur, in Aegypti desertis vivere incepissent, hi, acsi otiosum tale vitae genus Deo acceptius esset, aevo isto decrepito in fanatismum et mysticismum prono mox

imitatores quosdam nacti sunt. Hos homines Pachomius, Antonii discipulus, a. 340 in unum coniunxit aedificium, ut essent Monachi, Abbati sive Archimandritae subiecti, paupertati et castitati, i. e. coelibatui, adstricti, vitae contemplativae et corporis cruciatui operam dantes. Mox etiam feminis idem vivendi genus placuit, quo factum, ut abrogarentur Diaconissae. Quum autem vexationes esse desiissent, tot Christiani pro martyrii corona huius vitae angelicae huiusque philosophiae Divinae honorem sectati sunt, ut brevi ex Aegypto per omnem Orientem et Occidentem propagaretur novum vitae institutum. In Oriente celeberrimi quique doctores ecclesiastici id valde laudarunt, Basilius, Chrysostomus, reliqui. In Occidente, Athanasii in Italiam fugientis operâ, innotuit, ubi commendatum est in Italia ab Ambrosio et Hieronymo, in Gallia a Martino, a. 375—404 Ep. Turonensi, et Iohanne Cassiano (§ 53), in Africa ab Augustino, qui domum suam episcopalem quasi in monasterii formam redegit et novi ordinis fuit auctor.

Quamvis autem, uti hoc aevo multa alia, sic etiam monasticum institutum ab Orientalibus acciperent Occidentales dociles, magnum tamen apparuit mox inter horum illorumque Monachos discrimen. Dum enim in Oriente aut erant inertes aut speculabantur atque inprimis orthodoxiam ecclesiasticam contra Haereticos defendebant, in Occidente magis fuerunt laboriosi. Quod inprimis debetur Benedicto Nursino, qui in Campaniae Monte Cassino a. 529 novum condidit monasterium novamque regulam,

eamque certam, hominibus Occidentalibus aptiorem, qua praeter paupertatem et castitatem ac preces, etiam opificia et mox quoque literarum studium Monachis iniungebantur. Atque inerti Stylitarum, sive Anachoretarum in columnis viventium, exercitio, quod in Oriente florebat, vetito, utile Benedictinorum institutum quaquaversum per omnem Occidentem propagabatur. Ab his terrae desertae sunt excultae, libri vetusti descripti, scholae in monasteriis apertae.

Caeterum vulgo non dum erant votá, quibus Monachi se per vitam totam huic vivendi generi obstringebant; itemque initio erant Laici, quibus praeerat Abbas, tanquam Presbyter; quum autem multi ex iis eligerentur Clerici, mox et ipsi omnes Clerici facti sunt.

§ 59.

Christianorum vulgarium animus.

Ob publicam, quae iam erat, Ecclesiae in Romano imperio auctoritatem, omnes cives nunc religionem Christianam acceperunt, sed horum plerique, quum enervati essent ac decrepiti, externo tantum modo, ita ut ab intelligenda et sentienda eius indole ac vi longe manerent remoti; e qua conditione non transibant in meliorem, quum neque sat multi essent Clerici mente animoque eo usque exculti, ut plebem vero sanctoque Christi spiritu

imbuere possent, neque Codicis sacri essent exemplaria, nisi pauca et maximo tantum pretio emenda, unde rarissime in Laicorum inveniebantur manibus. Misera vero haec Christianorum vulgarium animi conditio e superioribus iam facile efficitur. Lites enim illae acerbae et infinitae docent, Graecis et Orientalibus studium dogmatices fuisse pro pietate, disciplinam ab omnibus potius esse adhibitam contra hos, qui haeresi putabantur infecti, quam qui vitiis ostendebant se a Iesu spiritu alienos, omnibusque non amorem, sed orthodoxiam insigne fuisse hominis Christiani. Ritus sacri et exercitia pia ostendunt, quantum omnes immoderatae phantasiae et superstitioni anxiae indulserint, et quomodo mediis salutis sint abusi, acsi essent incantationes gentiliciae et formulae magicae. Monastica vita perspicuo est documento, nunc quasi pactum fecisse Christianos inter spiritum mundi et Christi, hac conditione, plerisque licitum fore vitam ducere mundanam, si nonnulli vitam agerent admodum Christianam.

Discrimen vero in diversis regionibus hoc erat maximum, quod Orientales et Graeci intellectui ac pulcri sensui sacras res omnes subiicerent, ac v. c. templa frequentarent uti olim theatra; Latini magis traherentur obscuro religionis sensu ac magno Ecclesiae Catholicae studio. In his post Ambrosium et Augustinum vim maximam habuit Gregorius Magnus, qui Gentilium contemsit eruditionem, sed amavit ceremonias, harumque splendorem mysticum Ecclesiae Romanae tam felici addidit successu,

ut omnis tandem Occidens splendorem eundem reciperet.

Regnare in Ecclesia ac vivere in Christianis animum adhuc prorsus fere gentilem, agnoscebant viri prudentiores omnes; sed plerique putabant, hoc animo non impugnando ritibusque superstitiosis non tollendis citius ad Christum duci posse Gentiles; pauci modo videbant, hac ratione corrumpi Ecclesiam Christique spiritum opprimi. In his erant Aërius, Iovinianus, Vigilantius, qui omnem animi perversitatem et superstitionem impugnabant libere, sed ab aequalibus, prorsus dissentientibus, parum audiebantur et saepius vexabantur.

§ 60.

Christianorum vita.

Nihilominus per hanc etiam Periodum magna cernitur universe Euangelii Divini vis in omnibus rebus humanis, quas fermenti instar penetrare incipit. Lites istae non aguntur de literarum apicibus aut his illisve Codicis Sacri verbis, verum ut constet de re, quae est Ecclesiae fundamentum et caput, quis sit Iesus Christus, Dei hominisque simul filius. Quid? quod in mediis hisce de Iesu humana Divinaque natura disputationibus suam vitam humanam ad Divinam Iesu perfectionem conformare studebant Christiani, atque hoc altâ voce repeterent optimi Patres quique, Dei Filium esse hominem factum, ut homines Dei redderet filios.

Imperatores etiam multas iam ferunt leges, quibus infantum, pauperum, servorum, feminarum sors emendatur pugnaeque gladiatoriae et spectacula, moribus noxia, aut circumscribuntur aut tolluntur. Porro in vitâ publicâ antiqua Gentilium inhumanitas et morum curruptela aliquatenus saltem disparet. Castitas nunc maioris existimatur, crudelitas imminuitur, multae exercentur virtutes antea prorsus ignotae, inprimis erga homines humiles et reiectos, pauperes, viduas. E bonis Ecclesiae datis non modo splendida exstruuntur templa, verum etiam Xenodochia, Nosocomia, Brephotrophia, Orphanotrophia, quae ipsa nomina Gentilibus incognita erant. Item vita domestica sancta nunc oritur, matresque multae liberos egregie instituunt. Pauperem castamque Iesu vitam, quam in mundo sequi se non posse putant, e mundo recedentes imitantur Monachi. Denique inter Patres Ecclesiasticos multi sunt viri revera pii, qui et communi morum corruptelae vitaeque mundanae graviter resistunt, v. c. Basilius, Chrysostomus, Augustinus, alii.

§ 61.

Religionis Christianae propagatio extra imperium Romanum: inter populos Orientales.

Conditione Ecclesiae in imperio Romano exposita, iam (secundum § 45) de eiusdem fatis extra huius imperii fines breviter est agendum. Ipsa autem illa conditio religioni huic propagandae valde

inserviit. Nam publica in imperio Romano Ecclesiae auctoritas eiusque splendor terrenus multis gentibus religionis Christianae accipiendae causa exstitit; itemque qui in litibus agendis inferiores facti erant, quando fugiebant in regiones alias, suam religionem secum portarunt ibique propagarunt.

Quod ad Orientem attinet: qui in Persia fuerant Christiani, a Regibus, metuentibus, ne Persas Romanis proderent, inprimis a Sapore II et Chosroë, saepe antea erant vexati. At quum Nestoriani, a Romanis pulsi, in Persia refugium quaerebant, laete excipiebantur; hisque saeculo V, VI, VII erat opportunitas religionis Christianae usque in Indiam et in Sinam propagandae (§ 50). Item Monophysitae, in Arabiam et Nubiam fugientes, multos in his regionibus ad partes suas pertraxerunt saeculo VI. In Aethiopia, tempore Constantini Magni, primum Regi et aulae, deinde fere omnibus incolis Euangelium annunciavit Frumentius. Eiusdem Constantini aevo Armeni, qui saeculo II iam initia fidei Christianae acceperant, per Gregorium Illuminatorem plene ad eam sunt perducti, quam deinde contra Persas, Armeniam saeculo V occupantes, fortiter defenderunt; item nunc Christianis se adiunxerunt Sarmatae, a Constantino victi.

§ 62.

Inter gentes Germanicas.

At in futura Ecclesiae Christianae et orbis ip-

sius conditione longe maiorem vim habuit, quod nunc in Occidente gentes Germanicae hanc religionem amplecti inciperent. Alia enim ac prorsus ab Orientalium, Graecorum et Romanorum moribus et ingenio diversa erat hisce gentibus indoles atque studia alia. Ex Asia oriundae diu habitaverant Scandinaviam et Germaniam, unde praecipue post medium saeculum III multas fecerunt incursiones in imperium Romanum, cuius partem Occidentalem a. 476 plane subegerunt. Neque hoc accidit sine Numine ac Providentia Dei, qui novam in Europa enervata oriri fecit nationem, quum incolis vetustis admiscerentur hae gentes, corpore animoque robustae. Carebant nempe in patria sua degentes urbibus, literis, artibus, industria populari, argenti ac pene ferri usu; praeterea aleae et ebrietati libenter sese dabant; nec quicquam agere amabant, nisi feras venari atque latrocinia et bella gerere. At recondita in iis erant studia excelsa, generosa et prorsus virilia, quae nunc quidem vix fiebant conspicua, nisi in fide summa, veritatis libertatisque amore, insigni feminarum existimatione, religione simpliciore; sed quae, cultu perverso numquam depravata, deinceps per religionem Christianam nutrita et purgata, tandem egregios quosque tulerunt virtutis et humanitatis fructus, eosque uberiores et puriores, quam quos in aliis gentibus reperire possimus.

Inter has gentes Gothi, Danubii accolae, iam Periodo superiori aliquam Christi cognitionem acceperant, adeo ut et Gothorum Episcopus quidam Concilio Nicaeno adesset. Deinde praecipue Ulphilas,

ipsorum (a. 348—388) Episcopus, qui Biblia Gothicé reddidit, in causa fuit, ut omnes religionem hanc reciperent. Reliquae etiam gentes Germanicae, quae imperium Occidentale occupabant, fidem Christianam sunt professae, sed pleraeque eius formam Arianam. Catholicis se adiunxerunt modo Galliae domini, Franci, praeeunte Rege Chlodovico a. 496; quorum vero auctoritas, coniuncta cum Iustiniani in Occidente victoriis, effecit, ut Arianorum Ecclesia ubique Catholicae locum cederet.

In Britannicis insulis, ubi iam diu floruerat Ecclesia Christiana, haec nunc magnam accepit cladem. Nam incolae debiles, qui, legionibus Romanis destituti, Scotos et Pictos reprimere non poterant, invocarunt Anglos et Saxones, tribus Germanicas paganas, quae mox a. 449 omnem regionem occuparunt et Christianos in montes fugere coëgerunt. Hiberniam autem, ubi florebat adhuc gens Celtica, neque a Romanis, neque a Germanis superata, Christo sibique devincire voluit Episcopus Romanus Coelestinus, eo mittens a. 432 Patricium, qui tanto successu ibi Euangelii egit praeconem, ut ipse Hiberniae Apostolus et regio, ob Monachorum pro illo tempore doctorum et piorum copiam, deinde Insula Sanctorum diceretur. Neque immerito hoc fieri, apparuit, quum exinde proficiscerentur viri eximii, Columbanus, Gallus, alii bene multi, qui Francos melius instituerunt et Helvetos ac Germaniae australis incolas Christi Ecclesiae addixerunt. Alius Episcopus Romanus, Gregorius I, deinde in Britanniam misit Augustinum, Abbatem Romanum,

qui Anglis et Saxonibus non sine successu Christum annunciavit.

§ 63.

Religionis et Ecclesiae Christianae inter gentes Germanicas conditio.

Iam ex ipsa causa, cur pleraeque tribus Germanicae religionem Christianam primum reciperent, quae praesertim in rituum sacrorum splendore et imperii Romani magnitudine erat sita, facile derivamus, illam inde ab initio vim magnam in Germanis exercere haud potuisse. Accedebat, quod Clerici plerique lingua Latina, Germanis ignotâ, uterentur, unde hi religionem Christianam rite capere prorsus non potuerunt. Igitur vim internam negligentes, modo formam externam sectati sunt, et, Clericis non improbantibus, Sanctorum cultum, exercitia monastica, donationes Ecclesiarum, similia, longe maximi habuerunt. Hinc neque scelera sua deposuerunt, sed aut scelera esse non senserunt, aut pecuniâ datâ expiarunt. Quod inprimis factum a Francis, quibus vitiorum gravissimorum exempla inde a Chlodovico erant Reges fere omnes; qui nihilominus a Patriarcha Romano impense laudabantur, quippe non Ariani, sed Orthodoxi. Paparum vero Romanorum nondum magna fuit apud gentes hasce auctoritas. Vigebat enim inter eas regimen feodale (fidele, fidelitatis sive fidei a minoribus praestandae viris maioribus), unde bona ecclesiastica erant feodalia et a Regibus

saepe ad se trahebantur; item nominabantur Episcopi plerumque a Regibus et Reges quasi summi erant in suo quique imperio Episcopi. Episcopi autem et omnes Clerici in rebus minoribus, etiam civilibus, magnâ gaudebant potestate; huic enim Divinae auctoritati libenter sese subiiciebant gentes, in superstitionem pronae, quae a vi humana nulla domari potuissent. — Hiberni et novi Britanniae domini, Anglo-Saxones, qui nunc a legatis Romanis ad fidem Christianam fuerant adducti, Papae prorsus erant subiecti; sed Britanni, qui iam diu ante Euangelium acceperant, plerique ei obedire recusabant; unde magnae ac diuturnae exstiterunt inter Christianos novos veteresque in hac insula lites.

§ 64.

Periodi totius conspectus.

Longe alia est hac Periodo, quam superiore, Ecclesiae Christianae conditio. Quum enim nunc publica sit eius in imperio Romano auctoritas, non amplius sibi relinquitur Ecclesia, ut paulatim adolescat et vi insitâ Divinâ suam sibi ipsa induat formam; sed Respublica, quae antea erat hostis, nunc patronum agit, qui clientem, auctoribus primum Constantino, deinde praesertim Theodosio et Iustiniano, saepe pro arbitrio informat. Cuius patrocinii et fortunae prosperae mox cernuntur *effectus mali.* Plerique enim imperii cives ad Sacra Christiana iam transeunt, non interna animi persuasione

ducti, sed commodis terrenis alliciti. Cum pace externa lites intestinae, maxime de Iesu natura, gravissimae exoriuntur; fides cum orthodoxia commutatur; orthodoxia facit, ut artificiosum oriatur de Iesu Christi natura decretum; itemque, ut paene omnis intereat animi libertas et literarum cultus; aristocraticum Ecclesiae regimen, quod erat antea, excipit oligarchia, quum Patriarchae pauci omnia regant et de principatu semper inter se certent; Monachi multa agunt et audent; pro simplicitate venit magnificentia; rerum externarum studium valde crescit; cum flore externo internus est marcor. Verbo regnum coeleste magis magisque commutatur in terrenum.

Multa vero atque maxima etiam *commoda* Reipublicae patrocinium affert Ecclesiae. Etenim eius conditio, quae hucusque semper erat precaria, nec raro in eo, ut exitio videretur proxima, iam secura et certa redditur; nunc in imperio Romano omnes ad hanc societatem adducuntur, doctores praestantissimi florent, notiones utilissimae quaquaversum sparguntur, virtus non civilis modo, sed vere humana exerceri incipit; nunc extra huius imperii fines gentibus Germanicis rudioribus magnificentia illa et splendor Ecclesiae Christianae affulsit, cum caeteroquin ad hanc religionem forte nondum pervenissent: atqui sine religione Christiana, utut imperfecte accepta, parva fuisset ipsis coniunctio, institutio nulla, humanitatis parum; iam scintilla saltem affertur, unde post multa saecula clarissimum cultûs lumen eluceat.

Aevo autem omni insequenti exemplo est haec Periodus, quanta Ecclesiae ex ipsius cum Rep. confusione nascantur pericula, quam infructuosae et perniciosae sint de orthodoxia lites, quantopere improbandus nimius Sacrorum splendor. Atque forte necesse fuit, ut his erroribus aliquando plane sese dederet Ecclesia Christiana, quo melius deinde eos disceret cavere.

Neque obliviscatur aevum omne insequens, illud dogmatices Christianae systema, quod orthodoxum, catholicum, sanctum multi semper habuerunt et habent etiam nunc Christiani, hac Periodo minus e veri studio, Codicem Sacrum inquirente, quam mediis in litibus acerbis, ex Imperatorum legibus, aulae machinationibus, Episcoporum invidia esse natum.

PERIODUS III.

A MOHAMMEDE AD GREGORIUM VII.

AB ANNO 622 USQUE AD ANNUM 1049.

ECCLESIAE CHRISTIANAE SEDES PRAECIPUA ET FLOS EX ORIENTE TRADUCITUR IN OCCIDENTEM, MAXIME ROMAM.

§ 65.

Periodi argumentum.

Interna Ecclesiae conditio neque hac Periodo eadem manet; magis vero in oculos incurrit, scenam, in qua agitur res Christiana, nunc plane aliam fieri. Etenim quum Ecclesia Christiana hucusque maxime in Oriente floreret et Patriarcha Alexandrinus in eo esset, ut totius Ecclesiae principatum obtineret, nunc subito in Oriente fere deletur nomen Christianum, idque per Europam de gentili Germanorum, Scandinavorum et Slavonum religione reportat victoriam. Quare quod Patriarchae Alexandrino non successit, id nunc con-

tingit Romano, ut Ecclesiae Christianae habeatur et sit Episcopus primarius, unde ad monarchiae ecclesiasticae formam magis magisque in Europa accedit Ecclesia Christiana. — Causam vero huius tantae inversionis reperimus hanc, quod, vi gentis Graeco-Romanae pereunte, huius locum iam occupent Arabes et Germani, qui subiecto ab ipsis orbi formam prorsus aliam induunt.

In enarranda hac Periodo ab Oriente incipientes versus Occidentem pergemus.

§ 66.

Regnum Mohammedicum.

In Oriente, ubi longe firmior quam alibi videbatur esse Ecclesia Christiana, inopinato iam exstitit quae hostis eius habetur omnium acerrima, religio Mohammedica; haec enim paucis ictibus ei, litibus dogmaticis enervatae, intulit cladem, cui tota Ecclesia orthodoxa brevi succubitura videbatur.

Etenim dum in Oriente dominabantur Graeci et Persae, inter hos medii subito surrexerunt et utrisque dominium eripuerunt Arabes, enthusiasmo et fanatismo religioso animati. Nempe Mohammedes, Arabs nobilis, ingenio, phantasia, eloquentia, item gravitate et habitu externo conspicuus, Sacrorum emendationi, qua omnino opus esse vidit, perficiendae manum admovit. Qua in re agenda versatus est modo Montanistarum, Gnosticorum et Manichaeorum, diversissima coniungentium placita. Nam quae

decreta in vetusta Arabum, Iudaeorum et Christianorum religione ipsi veriora et meliora videbantur atque hominibus Orientalibus aptiora, haec in novam redegit religionis formam, quam a Deo per Angelum Gabrielem se accepisse aut ipse putabat, aut saltem coram aliis prae se ferebat. Minus autem ducebatur sensu amoris Divini eiusque sancti, sensuque nostrae cum Deo cognationis et similitudinis, quam sensu unitatis Dei et reverentiâ omnipotentiae Divinae, quum haec unitas et omnipotentia ipsi, Orientali prorsus homini, vasta et grandia amanti, valde placerent. Primarium eius religionis placitum erat, unum esse Deum et Mohammedem eius Prophetam; officiumque praecipuum, statutis temporibus precari, lavari, ieiunare, beneficentiamque in pauperes exercere. Bona habet hic Dei cultus, quae propria sunt religioni, unum verum agnoscenti Deum; mala, quae adsunt, ubi is non agnoscitur in Iesu Christo, quem misit. Hanc religionem eloquentiâ persuasit Mohammedes primum paucis, armis deinde omnibus Arabibus. Quo facto a. 632 mortuus est, egregius magnae generis humani parti ipsisque Christianis monotheismi vindex, Arabum vero simul Propheta, Poëta, Sacerdos, Rex.

Eius successores, *Califae*, imperii fines longius protulerunt; pulcriorem mundi veteris partem, Syriam, Aegyptum, Persiam, Africam septentrionalem, Hispaniam unius saeculi spatio subegerunt; quin ex Hispania progressi omnem forte Europam Mohammedico nomini subiecissent, nisi eos in Francia graviter repressisset Carolus Martellus a. 732. Ita pri-

mus vastis Mohammedanorum expugnationibus terminus est positus, quamquam deinceps in Asia Minori nonnullas vicerunt regiones et in ipsa Europa Siciliam, Sardiniam, alias insulas et meridionalem Italiae partem.

Brevi vero altiora spirarunt Arabes, quam arma bellique discrimina, quum, literarum amore capti, Graecorum fierent discipuli ac mox Europaeorum magistri.

Christiani autem Orientales plerique, ubi vincebant Mohammedani, horum Sacra amplectebantur; nec quicquam nisi levis Ecclesiae Catholicae umbra in omni horum regno superstes manebat, eaque fere non nisi in monasteriis reperiunda.

§. 67.

Universa Ecclesiae Graecae conditio.

Sed quum illo modo in Oriente cresceret regnum Mohammedicum, ipsi quoque Ecclesiae Graecae satis erat nec virtutis nec doctrinae, quo se contra illud tutam praestaret. Plebis nempe religio erat, definitiones orthodoxas, iam diu non intellectas, contra Haereticos defendere atque imagines colere. Imagines pingere et orthodoxiam tueri, praecipua erant Monachorum negotia. Clerici saeculares, quorum vita erat impurissima et superstitio gravissima, plebis ignorantiam et vitia tollere non poterant. Accedebat, quod ex aulae nutu pendebat orthodoxia et paene omnis Ecclesia; unde aulae perditissimae corruptela etiam in Ecclesiam manabat.

Nam Ecclesiae Graecae regimen formam habebat reipublicae, cui praeses erat Patriarcha Constantinopolitanus, hic autem Imperatori plane subiectus.

Inter paucos Clericos eruditos recensendus est Iohannes Damascenus † 760, primi auctor systematis theologici, quod Graecam subtilitatem plane refert magnamque habuit in Scholasticis et Dogmaticis omnibus vim, quin et habet vim etiam nunc. Porro Photius Patriarcha † 891, plurium librorum scriptor, et Oecumenius † 990, N. Foederis interpres haud vulgaris.

Aliquam item dederunt Graeci Euangelio propagando operam. Saltem saeculo IX medio Cyrillus et Methodius, Monachi Graeci, inter gentes Slavonicas, quae in Moravia et Bohemia atque circa Danubium habitabant, quas nullo paene successu sibi et Euangelio subiicere conatus erat Carolus Magnus, feliciter Iesum annuntiarunt, ritum Slavonicum instituerunt, Codicem Sacrum Slavonice reddiderunt. Slavonica in Sacris uti linguâ a. 880 Moravis concessit ipse Papa Romanus; at a. 973 Archiepiscopum Pragensem agnoscere idem noluit, nisi ritum introduceret Latinum.

Inter Polonos religio Christiana primum a Moravis annunciabatur, mox a. 966 fiebat publica, sensim vero magis e Slavonicâ Latina.

Saeculo IX etiam Bulgari, qui erant Turcae cum Slavonibus commixti, et saeculo X Slavones, qui Russiam incolebant, ad Ecclesiam Christianam Graecam sunt adducti.

Quamvis vero haec Ecclesiae propagatio haud parvi sit existimanda, tamen longe minoris facienda

est, quam gentium Germanicarum ad Christum conversio. Carebant enim Slavones, populi pacifici et industrii, eâ ingenii vi ac libertate iisque studiis excelsis, quae Germanos reddiderunt aptos ad religionis Christianae vim sensim persentiendam et Ecclesiae doctrinam deinde suo modo et periculo purgandam et ulterius excolendam.

Una autem in re agenda veterem omnem servarunt Graeci ardorem, in litibus agendis. Praecipuae lites fuerunt cum Monotheletis, de imaginibus colendis, cum Paulicianis, cum Ecclesia Latina; quae iam breviter sunt exponendae.

§ 68.

Lites Monotheleticae.

Quamvis post subtilem quatuor saeculorum inquisitionem fieri non posse videretur, ut nova adhuc de Iesu natura orirentur dogmata, tamen huius Periodi initio acriter disputare inceperunt Graeci, de qua re antea minus cogitasse videntur, num una an duae Iesu fuerint voluntates. Imperator Heraclius, pacis etiam cum Monophysitis ineundae studiosus, primum cum Sergio, Patriarcha Constantinopolitano, et Honoris, Patr. Romano, unam esse Iesu voluntatem statuit, at deinde litigare de hac quaestione omnes vetuit, ita vero, ut simul decretum, duas Iesu esse voluntates, reiiceret a. 638. At tantum abfuit, ut hac aetate litigiosâ aut Imperatoris sententia probaretur, aut de re omni sileretur, ut, post multas disquisitiones ac tur-

bas, tandem Concilium Constantinopolitanum Oecumenicum VI a. 680 sententiam hanc, unam Iesu esse voluntatem sive *monothelismum*, formulâ usum ab Agathone, Patr. Romano, scriptâ, anathemate feriret. Verum quum alii Imperatores Monotheletis, alii Catholicis faverent, ne nunc quidem pax rediit.

Exstitit quoque separata Monotheletarum Ecclesia, sed in solo monte Libano, ubi e Iohannis Maronis nomine dicuntur Maronitae, et etiam nunc superstites sunt; licet inde a temporibus bellorum sacrorum cum Ecclesia Romana pacem inierint.

§ 69.

Lites de imaginibus colendis.

Leo Isauricus, Imperator Graecus, quum videret imaginum cultu superstitionem in dies augeri et ob id ipsum Mohammedanos ab Ecclesia Christiana valde abhorrere, imagines primo a. 726 coli vetuit, deinde a. 730 e templis tolli iussit. Quod confirmarunt eius successores Constantinus Copronymus et Leo IV. Nec tamen horum Imperatorum decretis ubique est obeditum. Multi enim extra imperium Graecum viventes, in Oriente qui Mohammedanorum erant subditi, in Occidente inprimis qui Romae habitabant, imagines colere perrexerunt. Imo in ipso regno Graeco ex antiquo cultu gentili supererat statuarum et tabularum pictarum in templis ponendarum consuetudo, atque nunc Monachi et plebs imaginum colendarum fiebant patroni. Nam Monachi ex

imaginum pictura quaestum faciebant, plebs Monachorum instigationem sequebatur, utrique opinioni crassiori et magis sensuali favebant. Tandem Irene Imperatrix, ut horum utrorumque favore sibi conciliato usurpatam dominationem fulciret, Concilio Oecumenico VII, Nicaeam convocato ideoque Nicaeno II, a. 787 imaginum cultum restituit. Post quod Concilium quamvis nonnulli adhuc Imperatores Graeci *Iconoclastae* ei cultui resisterent, eumque reiiceret etiam a. 794 Ecclesia Francica (§ 77), tamen semper crevit *Iconodulorum* inter Graecos Latinosque numerus, usque dum Imperatrix altera, cui Theodorae nomen, iterum cultum hunc sancivit a. 842, festo quoque *orthodoxias* in rei memoriam annuo instituto. Abhinc Ecclesia Graeca imagines, sed modo pictas, colere nunquam desiit.

§ 70.

Pauliciani.

Aevi huius ingenio ac Catholicismo Graeco in Oriente se prorsus opposuerunt nonnulli, Pauliciani dicti, quorum haec brevis est historia.

Constantinus quidam Samosatenus, qui in Armenia inter reliquias Gnosticorum et Manichaeorum vivebat, cum codicem Euangeliorum et Epistolarum Paulinarum Syriacum casu nactus esset, inde ab anno fere 660, Christianam Ecclesiam secundum purum et simplicem N. Foederis genium emendare studuit. Eius sequaces a Catholicis primum dice-

bantur *Manichaei*, deinde, quia semper ad Paulum Apostolum provocabant, *Pauliciani.* Mox quum non tantum errores Manichaeorum fovere putarentur, sed etiam Biblia, iam valde rara, ab omnibus legi vellent, Sanctos et imagines colere recusarent, Mariam semper virginem fuisse negarent, hierarchiam odio se habere ostenderent, contemnebantur et vexabantur; unde ipse Constantinus et multi alii martyrio obierunt. Quum vero in confiniis Armeniae habitarent, saepe, in Mohammedanorum ditionem fugientes, se Graecorum crudelitati substraxerunt. Post annum 801 opportunitas fuit cuidam Sergio sectae huius longe lateque per Asiam omnem Minorem propagandae. At graviores ob id ipsum ortae sunt vexationes, inter quas crudelissima fuit, quam a. fere 844 instituit Theodora, mulier illa superstitiosa (§ 69), quae Iconoclastis omnibus graviter irascebatur et 100,000 Paulicianorum dicitur interemisse. Iam reliquiae omnes fugerunt in regnum Califarum, qui eos laete exceptos strenue adiuvarunt, ut in imperii Graeci finibus ad Armeniam sitis fundarent urbem munitam Tephricen. Hinc multa nunc semper in provincias Graecas latrocinia susceperunt, saepe exercitus magnos fugarunt, semel ipsam Ephesum occuparunt. Deinde autem magis adversa ipsis fuit fortuna, adeo ut tandem cogerentur se subiicere Imperatori Iohanni Tzimisci, qui religionis exercendae libertatem ipsis concessit, sed maiorem partem a. 970 migrare iussit Philippopolin, in Thraciae urbem, ubi imperii Graeci fines contra Barbaros defenderent, eorumque reliquiae etiam nunc supersunt.

§ 71.

Schisma Ecclesiae Graecae et Latinae.

Quae olim inter Patriarchas omnes erat aemulatio, iam, Ecclesiae Alexandrinae et Antiochenae splendore omni post victorias Mohammedicas pereunte, fuit inter solos superstites, Romanum et Constantinopolitanum, quibus multae se praebuerunt litigandi opportunitates.

Prima fuit de auctoritate Concilii Constantinopolitani a. 692 habiti, quod, quum limites posuisset potestati Patriarchae Romani, cum Romae tum in universo Occidente est reprobatum.

Alteram dedit formula *Filioque.* Hispani enim, ut Filii Dei dignitatem contra Arianos tuerentur, iam dudum docuerant Spiritum Sanctum non tantum e Patre, sed etiam e Filio procedere; quin in Synodo Tolosana a. 589 Symboli Constantinopolitani verbis *ex Patre* addiderant *et Filio.* Quam Symboli corruptionem quum aegerrime ferrent Graeci, defenderent Latini, de ea magno cum animi fervore lis est acta.

Tertia gravior etiam disputandi opportunitas fuit, quum saeculo IX de Patriarchae Constantinopolitani dignitate consequenda certarent Ignatius et Photius. Utriusque enim, Papam Romanum socium sibi habere cupientis, Nicolaus I, qui nunc sedem Romanam obtinebat, mox non socium, sed iudicem egit. Accessit quaestio, num Bulgari, nuper ad fidem Christianam adducti, ad Graecam an ad Latinam

pertinerent Ecclesiam. Quae lites tantae factae sunt, ut saepius se invicem excommunicarent Photius et Nicolaus.

Ultimam schismatis causam attulit Michaël Coerularius, vir ambitiosus, qui, Patriarcha Constantinopolitanus factus, Latinos haereseos accusavit, quia pane non fermentato in Eucharistia uterentur, suffocata et sanguinem comederent, caet. Qua de re postquam acriter disputassent, tandem Legati Romani in ipsa Sophiae aede a. 1054 excommunicarunt Michaëlem, qui statim Papam Romanum eodem modo tractavit. Quum vero tota Ecclesia Graeca Michaëli assentiretur, abhinc dissidium fuit inter Ecclesiam Graecam et Latinam nunquam resarcitum.

§ 72.

Europae mediae et occidentalis conditio civilis.

Ut, quae nunc est enarranda, historiam Ecclesiae occidentalis intelligamus, opus est, prius paucis adumbrare, quaenam fuerit civilis Occidentis conditio.

Quum gentes Germanicae sensim fixas nanciscerentur sedes, huius Periodi parte priore, saeculo VII, VIII, IX, in media Europa potentissimum fuit regnum Francicum, quod Romanorum in Europa partes agere conabatur, ac, dum maxime florebat, Galliam et Germaniam cum adiacentibus regionibus continebat. Magnis autem turbis, quibus expositum erat, sedandis nemo fere par erat nisi Caro-

lus Magnus, a. 768—814, et pauci ex eius familia Reges. Parte posteriori, saeculo IX, X, XI, regnum hoc, saepe diversa ratione divisum, tandem in duas distributum est partes, Franciam et Germaniam. Sed et hoc utrumque regnum vexabatur turbis, raro nec nisi per breve tempus compositis.

Turbae hae erant aut intestinae aut externae. Intestinae ex uno fluebant fonte ubere, rudi gentium Germanicarum indole, quae servabat peculiare regiminis feodalis institutum, quo imbecillibus servitutis iugum imponebatur nobilibusque ad bellandum arma porrigebantur. Externae turbae nascebantur ex incursionibus gentium peregrinarum. Nam Arabes e meridionali, Normanni e septentrionali, Hungari et Slavones ex orientali Europae parte profecti, eo usque in Europa media populabantur, ut interdum circa Rheni ripas sibi invicem fere occurrerent.

Quod ad reliquas Europae regiones attinet: Scandinavia parum nota erat, nisi quatenus sedes erat Normannorum terribilium. Anglia saepe, inprimis per Alfredum a. 872—900, floruit, nec tamen magnam habuit civilem in Europa vim. Hispania fere tota suberat Arabibus. Italia, omnium regionum pulcerrima et infelicissima, rapiebatur et lacerabatur certatim a Graecis, Longobardis, Arabibus, Normannis, Imperatoribus vel Francis vel Germanis, Papis Romanis, Magnatibus Italis.

Quae quum ita sint, tam misera fuit Europae conditio civilis, ut haec saecula haud inepte *tempora turbarum* dicas.

§ 73.

Religionis Christianae in Occidente propagatio.

Neque tamen hae turbae impediverunt, quominus religio Christiana aeque laete a Latinis atque a Graecis (§ 67) propagaretur. Praesertim Angli, semper peregrinandi, inprimis etiam Iesum in regionibus peregrinis annunciandi, studiosi, iam fervore Divino sunt abrepti, ut Euangelium ad populares suos gentiles, in Germania adhuc degentes, perducerent. In multis Euangelii praeconibus, ideo ex ipsis in Germaniam, itemque in Helvetiam et Franciam profectis, celebriores sunt Willebrordus, primus Ecclesiae Ultraiectinae Episcopus † 739 vel 746, et longe magis etiam Winfridus sive Bonifacius, qui tanto studio et successu a. 716—755 Germanis Euangelium annunciavit, ut merito Germanorum Apostolus dicatur. Iuvenem huncce pium exempla aliorum excitaverant, ut ipse etiam ad Germanos Euangelii luce illustrandos proficisceretur. Quum vero, prouti omnes Angli, Papam Romanum communem omnium Christianorum patrem veneraretur, mox propositi sui sanctionem Romae quaesivit. Neque frustra. Papae Gregorius II et III crearunt eum pedetentim Episcopum, Archiepiscopum, Vicarium suum. Ipse nomini simul Christiano et Romano Germanos addixit, et, postquam magno successu religionis praeconem egisset, Concilio I Germanico a. 742 Germaniam Christianam Papae Romano subiecit. Licet vero Papae addictissimus et ceremoniarum

amans esset, tamen magno cessit Germaniae emolumento eius pietas, ardor, prudentia. Monasteriis enim, tum aliis tum Fuldensi a. 744, condendis, dioecesibus describendis, Germanis e sylvis in vicos colligendis, non modo Ecclesiae, sed etiam humanitatis iecit fundamentum firmissimum. In hisce autem rebus agendis tam indefessum eius fuit studium, ut senex adhuc iter ad Frisios, qui post Willebrordi mortem fidei Christianae initia reliquerant, iterum convertendos susciperet, a quibus vero, 75 annos natus, prope Doccumum interfectus est a. 755.

Longe alia ratione Carolus Magnus Euangelium propagavit. Saxones enim, qui in Germania septentrionali habitabant, debellavit a. 772—804, atque tandem vi et poenis ad religionem Christianam profitendam coëgit. Monasteria condidit multa, tanquam Christianorum arces et asyla, et Episcopatus Monasteriensem, Osnabrugensem, Paderbornensem, Bremensem, alios. Monasteriensis dioeceseos Episcopus primus fuit Ludgerus, vir praeclarus † 809, antea Euangelii in agro Frisiaco et Groningano nuncius eximius.

Regnante Caroli filio, Ludovico Pio, Daniae Rex profugus in Francia religionem Christianam professus est. In patriam redux a. 826 secum sumsit Anscharium, postea Archiepiscopum Hamburgensem † 866, qui Europae septentrionali conatus est fieri, quod Germaniae fuerat Bonifacius. Neque huius conamina successu caruerunt. Iecit, maxime in Suecia, fundamentum, cui deinde Ecclesia Christiana

est inaedificata, unde non sine causa Septentrionis Apostolus cognominatur.

Deinde Otto I, Caroli vestigiis insistere cupiens, ab a. 946 multam haud sine fructu contulit operam ad Wendos, i. e. Slavones in Germania septentrionali habitantes, nomini Christiano addicendos.

Denique in Hungaria a Rege Stephano (997—1038) religio Christiana ritu Latino publice est stabilita; atque a. 1027 Rex Canutus Daniae Ecclesiam subiecit Papae Romano.

§ 74.

Crescens Paparum Romanorum auctoritas usque ad Carolum Magnum.

Ecclesiae huius tam laete propagatae Episcopus longe primarius ac pene dominus iam fiebat Patriarcha sive, uti prae reliquis dicebatur, Papa Romanus. Cuius rei fundamentum positum iam erat in ipso Romae, orbis metropoleos, nomine, et nonnullis rebus, quae ante haec tempora erant factae (§ 40, 41, 56).

Auctoritati nunc etiam accrescenti opportunitas prima erat in Euangelii praeconibus Româ in Angliam et Hiberniam missis (§ 62), qui uti Christo, sic Episcopo Romano Anglos et Hibernos addixerunt.

Accedebant mox Mohammedanorum victoriae, quippe quae Papae in Oriente aemulorum vim aut valde imminuerunt aut prorsus fregerunt (§ 66), eique dederunt opportunitatem sese obedientiâ, Impera-

tori Graeco praestandâ, magis magisque solvendi. Quum enim huic non amplius essent vires, quibus Italiam mediam contra perpetuas Longobardorum incursiones defenderet, Papa Romanus sua auctoritate coniungere solebat viros Italiae nobiles et bellatores, qui illis resisterent; quod agens Italiae quasi princeps videbatur. Unde Gregorius II, quum Imperator Leo Isauricus a. 730 imagines colendas vetuisset, tandem ausus est clamare, se Imperatori haeretico amplius obedire non posse.

Tertia auctoritatis Papalis magis etiam crescentis causa est ipsa illa religionis Christianae in Germania et Scandinavia propagatio (§ 73). Nam cum Bonifacius tum reliqui Monachi Angli, qui Euangelium ibi annunciabant, ut ipsi erant Papae addictissimi, ita eidem Germanos subiecerunt.

Quarta est causa gentis Carolovingicae favor. Pipinus enim, Regi Francico Maior domûs, regium nomen usurpare cupiens, a Papa Rex est salutatus a. 752, cuius rei gratias referens Papae, huius potestatem auxit, inprimis eo quod ipsum contra Longobardos defenderet. Maiora etiam egit Carolus Magnus, Pipini filius, qui Longobardorum, formam doctrinae Arianam profitentium, regno deleto, a. 774 Exarchatum Ravennensem Papae dedit, ac deinceps a. 800 imperatoriam Occidentis coronam a Papa accipere haud recusavit. Quo tam ab Imperatore Graeco in sempiternum separavit ac liberavit Papam, quam se Imperatorem novum Papae aliquatenus submisit.

Multum tamen aberat, ut Papa nunc omnem Occidentem regeret. Etenim in rebus civilibus Imperatori

tanquam domino et iudici mansit subditus; quin et in ecclesiasticis parva ei erat auctoritas, nisi in dioecesi Romana et in Anglia ac Germania. Ipse Bonifacius, postquam Germaniam subiecerat Papae, eâdem ratione eidem submittere Franciam, a. 743 frustra est conatus; nam in Francia res ecclesiasticae constituebantur in Comitiis vel et a Regibus solis, non in Synodis a Clericis. Sed magnus ubique Papae exhibebatur honor; unde ei successit, ritum Romanum, Caroli Magni auctoritate commendatum, in omni Occidente introducere atque etiam inter Bohemos, Polonos et Hungaros.

§ 75.

Pseudo-Isidorus.

Nulla vero forte unquam fuit res, quae Papali potestati augendae magis inserviret, quam liber impostoris cuiusdam, qui vulgo dicitur *Pseudo-Isidorus.* Saeculo nempe VI Episcopus Hispanus, Isidorus, instituerat collectionem Conciliorum et Decretalium; iam vero inter annum 829 et 845, illius Isidori nomine, impostor quis videtur in Franciae dioecesi Rhemensi vel Moguntiaca novam edidisse talem collectionem Canonum Conciliorum et Epistolarum Decretalium a Papis Romanis a saeculo I ad VI datarum; cuius collectionis aliqua pars vera erat, sed longe maior plane falsa. Canonibus et Decretalibus hisce Ecclesia a Civitate prorsus separabatur, auctoritas Episcoporum vulgarium extollebatur, Metropolitanorum

infringebatur, Papae, tanquam Episcopi universalis, utrisque longe praeferebatur. Consilium huiuscemodi agendi rationis fraudatori fuisse videtur hoc, ut Ecclesiae libertas contra imperium civile eo melius confirmaretur, quo arctius illa unius Papae imperio foret coniuncta.

Quamdiu nemo fraudem ostendebat, i. e. per omne medium aevum, magna facile huic Pseudo-Isidoro fuit vis ad Papae potestatem augendam. Primum a. 864 ipso usus est Papa ambitiosus Nicolaus I (§ 71), qui, hoc auxilio fretus, magna est ausus. Praecipue Metropolitanos adortus, non modo Hincmarum, Archiepiscopum Rhemensem, coëgit Episcopum quendam, ab ipso dignitate privatum, in integrum restituere, sed etiam Coloniae et Trevirorum Archiepiscopos loco movit. Quae conamina illi succedere potuerunt, quia Regum Francicorum, Caroli Magni successorum, sed ab hoc valde dissimilium, debilitate callide utebatur.

Caeterum in Pseudo-Isidori libro etiam invenitur ementita Constantini donatio, quae nunc quidem parvam habuit vim, sed deinde civilis Paparum supra Reges potestatis fundamentum est factum.

Num vero a. 855 sedem Romanam occupaverit Iohanna Papissa, an fabula sit quae de ea narratur, nondum inter viros eruditos constat.

§ 76.

Pornocratia Romana.

Universe post Nicolaum I, a medio saeculo IX ad medium XI, infausta fuere Papis tempora. Magnatibus enim, in Italia de principatu certantibus, subiecti, nulla, nisi quam ab his derivabant, potestate erant praediti. Diu inprimis Romam tenuit, primum a. 904—963, *factio Tusca*, eo praecipue infamis, quod eius principes essent meretrices nequissimae, Theodora eiusque filia Maruccia, quae adulteris et filiis suis sedem Romanam dabant urbemque omnem flagitiis implebant. Rem aliquatenus restituebant Imperatores Ottones a. 963—1002, quorum tertius Papam creavit celeberrimum Gerbertum (§ 79). Sed post hos factio Tusca iterum Romam subegit, itâque omni honestati et religioni illusit, ut interdum Laicos et pueros Papas pronunciaret.

Tandem saeculorum duorum vitiositas in melius est mutata, quando primum Henricus III Imperator, cum exercitu in Italiam progressus, Concilio Sutriensi a. 1046 turbis finem imponebat, et deinde ad regimen Ecclesiae accedebat Hildebrandus, qui aliorum nomine ab a. 1049 et deinde suo ipsius, Papa Gregorius VII factus, navis iactatae gubernaculum firma prehendit manu. Quod exponet Periodus IV. Hîc vero adhuc observamus, horum temporum rationi et ideis ita convenisse hierarchiam Papalem, ut hanc ne pessimi quidem Papae perdiderint; itemque magna fuisse hac Periodo Ecclesiae Romanae,

utut saepe corruptae, merita in religionem Christianam propagandam et Europaeos, a se invicem alienos, inter se coniungendos.

§ 77.

Interna Ecclesiae Occidentalis saeculo VII et VIII conditio. Caroli Magni in eam merita.

Quum post Gregorium I (§ 56, 57, 59) in dies magis periret vetus Graecorum Romanorumque cultus, necdum nova nata esset quaedam Christianorum humanitas, nulla, quam haec historiae ecclesiasticae Periodus, tristiorem nobis exhibet internam Ecclesiae conditionem, nulla maiorem ubique barbariem, superstitionem, morum corruptelam. In mediis tamen tenebris intervallum paulo lucidius saeculo VII exeunte et VIII ineunte invenitur in Hibernia, ubi semina a Patricio iacta laete germinarunt, et in Anglia, ubi Anglicis Papae Romani asseclis et veteribus Britanniae incolis Christianis inter se disputantibus (§ 62, 63), ingenia e somno lethali sunt expergefacta. Hîc fuit praeterea Theodorus, a. 668—690 Archiepiscopus Cantuariensis, Tarso oriundus, qui saepius per Angliam totam suscepit itinera ibique scholas multas condidit, unde a nonnullis habetur eruditionis scholasticae parens. Omnibus constat, ex his prodiisse viros pios et pro illo tempore doctos, cum eos, qui in Germania Euangelium annunciarunt (§ 73), tum Bedam Venerabilem † 735, qui aliorum librorum et *Historiae ecclesiasticae gen-*

tis Anglicanae laudabilis est scriptor atque aequalibus Miraculum Occidentis dicebatur; porro Alcuinum † 804, Caroli Magni amicum ac praeceptorem, alios multos.

In media Europa omnes bellis et latrociniis adeo erant occupati, ut ad Caroli usque tempora literis nullam darent operam. Omnia autem emendavit vir hic, si quis alius, magnus, a. 768—814. Regno pacando intentus, in Italia degens, literas hucusque ipsi ignotas cognovit et in regnum suum inducere sibi proposuit. Alcuinum igitur et Paulum Warnefridum † 799 aliosque in aulam arcessivit viros doctos, qui in ea Scholam Palatinam sive sodalitium eruditum constituebant. Horum consilio et opera tam Clericos quam plebem erudire et emendare studuit. In cathedralibus Ecclesiis et monasteriis aperuit scholas, in quibus artium liberalium trivium et quadrivium doceretur. Conciones sacras haberi, et imperitiorum gratiâ homiliarium a Warnefrido confici iussit. Versionem Sacrae Scripturae Latinam vulgatam Alcuino emendandam tradidit. Probavit vitam Clericorum Canonicam, auctore Chrodegango a. 760 ortam. Episcopos per suam quemque dioecesin circumire iussit. Romanae Ecclesiae Sacramentarium, codicem Canonum, cantum ubique commendavit: nam ad exemplum Ecclesiae Romanae, omnium antiquissimae, Ecclesiam Francicam conformare voluit, quamvis, Papae nullam in regno suo agnoscens auctoritatem, ipse omnes res ecclesiasticas ordinaret. Itaque quum Irene (§ 69) imaginum cultum instauraret, non tantum *de impio*

imaginum cultu libros quatuor (qui ab Alcuino videntur scripti) edidit, sed etiam Ecclesiae Francicae a. 794 convocavit Concilium in urbem Francofurti, quo, frustra Papa obnitente, cultus ille est reiectus. Dolendum vero virum hunc magnum, qui tot viis ac modis Ecclesiae profuit, eidem, Clericorum divitiis, honore, iuribus nimis augendis, valde quoque nocuisse.

§ 78.

Occidentalium eruditio et lites saeculo IX.

Caroli conamina ipsius aetate et tempore proxime sequenti egregios tulerunt fructus. Ex scholis prodierunt viri multi eximii et docti, in quibus fuerunt Claudius, Episcopus Taurinensis † fere 839, et Agobardus, Archiepiscopus Lugdunensis † 841, qui, nemine vexante, omnem superstitionem libere impugnarunt. Eodem saeculo floruit quoque in Francia Iohannes Scotus Erigena † fere 880, vir literarum Graecarum scientiâ, patefactionis Divinae universalis sensu, philosophiae libertate atque ubertate, mystica etiam sensûs profunditate longe prae aequalibus eminens. Ipsae etiam lites dogmaticae graviores, nunc primum inter gentes Germanicas ortae, ingenii apud eas expergiscentis sunt documenta. Celebriores sunt, quae sunt actae de formula *Filioque* (§ 71) et contra *Adoptianos*, sive eos, qui, sententiam Nestorianam suo modo repetentes, Iesum Dei Filium esse docebant, quoad naturam humanam

iure adoptionis; quorum opinio Concilio Francofurtano a. 794 est damnata. Praeterea lites post Caroli tempora sunt gestae cum Paschasio et Godschalco. Ille Pachasius Radbertus, Abbas Corbeiensis † fere 865, veterem, post Gregorii M. Canonem Missae adhuc incertam, doctrinam de Iesu in S. Coena praesentia medio saeculo IX ita explicuit, ut inde prodiret decretum transsubstantiationis. Obloquebatur inprimis Rabanus Maurus, Alcuini discipulus, nunc Abbas Fuldensis, deinde Archiepiscopus Moguntinus † 856; sed frustra; crassior placebat aetati barbarae sententia. Godschalcus † 868, monachus pertinax, eodem tempore Augustini de praedestinatione gemina sententiam repetiit, quae displicuit Rabano Mauro, Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi, multis rebus gestis celebri, item Iohanni Scoto, aliis, quippe Semi-Pelagianis et Godschalci ambitionem non ferentibus; unde hic (huiusque personâ ipse Augustinus) pluribus Conciliis est damnatus.

In Anglia hoc saeculo a. 872—900 regnavit Alfredus Magnus, Carolo Magno certe non minor.

§ 79.

Saeculi X tenebrae. Lucis saeculo XI iterum exorientis scintillae.

Neque tamen semper conspicui fuere Caroli conaminum fructus. Eius successores plerique erant homines inertes, qui ne pacabant quidem regnum, unde subditi, turbis maximis dilacerati (§ 72), Nor-

mannorum inprimis incursionibus expositi, armis, non literis, dabant operam, atque mox linguam Latinam, quae una erat exculta, non amplius intelligebant. Sensim evanuerunt pleraque a Carolo instituta, tantaque est orta ruditas, ut saeculum X merito dicatur *ferreum*, *plumbeum*, *obscurum*. At literarum amor, quo maxime inde ab Harun-al-Raschid, a. 768—808 Califa, imbuti erant Arabes Orientales, etiam ad Occidentales pervenit. Condita est a. 980 celeberrima Cordubensis academia et ab Arabibus Hispanis Europaei, rerum mirarum, mysteriorum ac magiae studio puerili flagrantes, poëmata, narratiunculas, artes, mathesin, chemiam, astrologiam, philosophiam multis modis acceperunt. Inter celebres illius scholae alumnos est Gerbertus, primus in Francia et Germania literarum instaurator, a. 999—1003 nomine Sylvestri II Papa Romanus. Ergo quum magna Normannorum colonia inde ab a. 911 fixas in Francia occupasset sedes, et ad Arabum exemplum literis se dare inciperet, itemque res civiles per Hugonem Capetum in Francia, per Henricum I et Ottones in Germania paululum in ordinem redirent, nunc iacta sunt in Caroli scholis, saeculo X collapsis, sed iam instauratis, philosophiae Scholasticae initia. Rei documentum illustre est vir liberalioris ingenii, Berengarius † 1088, transsubstantiationis oppugnator, qui sub huius Periodi finem, a nonnullis defensus, sed plerisque exosus, floruit.

§ 80.

Universa Clericorum post Carolum Magnum in Occidente conditio.

Quae Carolus (§ 77) instituit ad Clericos emendandos, mox sensim evanuerunt, quae ad eosdem honorandos, magis magisque firmata et aucta sunt. Iam ab eius filio Ludovico Pio acceperunt quaedam regalia, atque, hoc huiusque successoribus, hominibus infirmis, regnantibus, magnam in omnibus rebus sibi arrogarunt auctoritatem. Quod eo facilius successit, quo magis ipsorum accrescerent divitiae, e regalibus illis, decimis, donis, exemtionibus, privilegiis, mansu ecclesiastico, aliisque fontibus affluentes. Huic auctoritati firmandae cum alii intenti fuerunt, tum Otto I † 973, qui, quo se contra Vasallos saeculares melius defenderet, e re sua putabat esse, imperii Germanici ducatus et comitatus integros Episcopis primariis in feudum tradere; quod ipsi eo utilius videbatur auctoritati Imperatoris, quia Vasalli saeculares iam haereditario iure feuda ad filios transmittere incepissent, Episcopos vero libere nominaret Imperator. Longe aliter factum in Francia, ubi Reges Capetingi Vasallorum omnium auctoritatem et potentiam imminuere conati sunt, ac Clericos quidem reverâ sensim omni iure singulari et dignitate saeculari privarunt.

Magna illa Clericorum potestas civilis aevo huic rudi profuit; inprimis quia disciplina Ecclesiae unum erat medium, quo cohiberi et domari poterant

gentes rudes. Ergo Clerici ordalia sive iudicia Dei ad se traxerunt, agriculturae, industriae, mercaturae causam defendere animosque hominum irritatos, praecipue pace sive treuga Dei instituenda, placare tentaverunt, pauperibus et oppressis aperuerunt asyla, servitutem mitigare et abrogare atque barbariem pellere studuerunt. At ipsis Clericis nocuit potestas haec magna, quia per hanc ipsam vitiositas et sensus terrenus virtutis sensûsque Christiani locum magis magisque penes ipsos occupabat.

Haec corruptela etiam inveniebatur in monasteriis, vitae lautissimae et nequissimae saepe latibulis. Quare nunc multi exstiterunt severitatis antiquae instauratores, in quibus celeberrimi fuere Berno et Odo, monasterii Cluniacensis Benedictini Abbas primus et alter, a. 910—941. Sed neque haec conamina, etsi inde oriretur *congregatio*, pleraque Franciae monasteria, hucusque non inter se coniuncta, complectens atque haec regulae et regimini Cluniacensi subiiciens, Ecclesiae diu profuerunt; quippe vitae generi naturae humanae contrario adhibita.

§ 81.

Ritus sacri et exercitia pia.

Ipse Carolus, qui tanta fecit ad barbariem pellendam imaginumque venerationi graviter restitit, Sanctorum et reliquiarum cultum non item improbavit. Quare insanum harum rerum nunc exsistebat stu-

dium, miracula ferebantur multa ab his patrata, apotheosis Gentilium in Sanctorum canonisatione inde ab a. 993 a Papa instituta, repetebatur, festi dies in Sanctorum honorem innumeri celebrabantur, inprimis Mariae, Reginae coelorum, colendae eiusque natalibus, purificationi, assumptioni dicati; mox Hispani Iacobum, Franci Dionysium fere pluris faciebant, quam ipsum Deum. Sacra etiam Coena sive potius Missa tanquam mysterium magicum celebrabatur, eiusque cum publicae tum privatae vis habebatur infinita. Pro Codice Sacro iam legebantur fabulae Romanenses, puerili hac aetate ortae, et narrationes de rebus Sanctorum sive legendae, adeo ut mythologia quaedam redierit Christiana. Peccata expiabantur ieiuniis instituendis, precibus fundendis, psalmis legendis, peregrinationibus vel Romam vel in Palaestinam vel aliorsum suscipiendis, eleëmosynis dandis; verbo rebus solummodo externis agendis, praecipue pecuniâ dandâ.

§ 82.

Christianorum animus ac vita.

Ex omni huius Periodi historia, facile efficimus, plerorumque Christianorum animum vitamque multum abfuisse a sanctitate et puritate, ad quam evehere nos vult Iesus Christus. Uti enim post Constantinum M. in Ecclesia Graeco-Romana regnabat levitas Graeca et ambitio Romana, ita nunc in Europae occidentalis, a Germanis supe-

ratae, Ecclesia dominabatur Germanorum ruditas ac ferocia, parum adhuc vel nihil spiritu Christiano emollita. Unde nulla paene hîc fuit pietas interna, sed vitia gravissima, barbaries, avaritia, libido libere grassabantur. Quibus omnibus malis Caroli M. quidem saeculo aliquot viros cordatiores restitisse, vidimus § 78, at deinceps nemo tantum non assensit, usquedum saeculo XI nonnulli oriebantur, e Paulicianis verosimiliter progressi, qui Ecclesiae vitia liberius reprehendebant; sed ob id ipsum nomine Haereticorum reddebantur infames et ubique mortis supplicio afficiebantur.

Ne vel sic tamen salutaris religionis Christianae vis penes Catholicos aut est amissa aut prorsus latuit. Vera enim et admodum laudanda erat pietas, utut superstitione infecta, nonnullorum virorum, maxime Euangelii praeconum, Eligii, Bonifacii, Ludgeri, Anscharii; atque gentibus integris v. c. Russis et Germanis, in ipsa Germania adhuc habitantibus, religio, ab hisce viris annunciata, cultûs et humanitatis prima exstitit causa.

§ 83.

Periodi totius conspectus.

Si ad Ecclesiae Christianae superiore Periodo conditionem oculos advertimus, videmus eiusdem florem et vigorem tum inprimis inveniri in Oriente, ubi sedes trium Patriarcharum clarissimae et omnes incolae erant Christiani, iique longe magis et eruditi et

potentes quam in Occidente. At religio Mohammedica, quae huius Periodi initio, veluti gravis tempestas, ex Arabiae desertis exoritur, paucis annis Iesu templa hîc funditus destruit; dum, prout in Asia et Africa Ecclesiae ditio decrescit, sic accrescit in Europa Germanica. Atque iam Romani Patriarchae tam illa clade aemulis suis, Patriarchis orientalibus, a Mohammede illata, quam hac religionis Christianae per Europam propagatione, ad auctoritatem suam promovendam callide utuntur. Iisdem magno etiam est emolumento, saeculo VIII, gentis Carolovingicae favor, saeculo IX, Pseudo-Isidori fraus. Quae omnia efficiunt, ut ipsi iam a multis summi Ecclesiae Christianae Episcopi haberi incipiant.

Universe non laetum nobis exhibet haec Periodus spectaculum; nam adeo imminuitur Ecclesiae Christianae amplitudo, eruditio, virtus; tanta, omni orbis Graeci et Romani pereunte humanitate, ubique grassatur barbaries et superstitio; tam parum Germani, Christiano nomini nunc adiuncti, distant a ferocibus ipsorum maioribus gentiliciis, ut Iesu Christi consilium nunc quidem irritum factum prima fronte videatur. Quod tamen secus sese habere, fidenter affirmamus. Nam non modo lucida in mediis tenebris interdum fuerunt intervalla, inprimis quo tempore Carolus M. egregia multa instituit ad Ecclesiam emendendam; sed etiam necesse fuit, ut talis oriretur nunc rerum conditio, qualem adfuisse cernimus. Etenim Ecclesia Mohammedica, quae Christianae Ecclesiae haberi potest filia, sed matrem saepe non ag-

noscens, purior erat aptiorque ad gentes orientales instituendas, quam quae illo aevo in Oriente dicebatur Christiana. Porro Mohammedes magnus fuit et egregius etiam inter ipsos Christianos unius Dei colendi instaurator. Tum literae ubivis pulsae asylum invenerunt apud Arabes, a quibus deinde ad Europaeos erant transiturae. Denique ut purius rectiusque a gentibus integris perciperetur libera et spiritualis religionis Christianae indoles, necessario prius plane interire debebant et penitus destrui, prouti antea Respublica et Ecclesia Iudaica (§ 32), ita nunc etiam tam Civitas Romana, quae religionem habuerat reipublicae bene administrandae instrumentum, quam omnis ille sensualis orbis Graeco-Romani cultus. Nam haec civitas ac cultus hic religionis Christianae puritatem diu inquinaverat; unde, civitate illa eiusque reliquiis et cultu illo deletis, nunc Europae oriri poterant quasi fermentandi tempora, quibus elementa heterogenea, quae aderant, reliquiae antiquitatis Graeco-Romanae, religio Christiana, libertas Germanica, in unum coalescerent, ex quibus inter se fermentatis sensim purior prodiret Ecclesia Christiana, iam inter Germanos, maxime inde a Caroli M. tempore, verae humanitatis fautrix, eo felicior, quo magis prorsus *nova* in Iesu Christo, i. e. inde ab initio per Iesum Christum exculta, natio esset haec Germanorum gens.


PERIODUS IV.

A GREGORIO VII AD LUTHERUM,

AB ANNO 1049 USQUE AD ANNUM 1517.



PAPA ROMANUS ECCLESIAE PRINCEPS.



§ 84.

Periodi argumentum.

Papae Romani potestas ad summum iam adscendit fastigium atque universe hierarchia Papalis Europae tutorem agit, ita ut quae religio propagetur, haec inserviat, qua extendatur imperium Papale, ac quae dogmata tractentur, haec Papae dominationem stabiliant.

At haec actio reactionem parit. Inprimis *Germanorum* ingenium superiore Periodo iam expergefactum, hac sensim ulterius excitari et explicari videmus. Sic, dum externe diu etiam crescit hierarchia Papalis, interne tamen ita adolescit Europa Germanica, ut iam sensim antiquetur servilis ista et puerilis rerum omnium

civilium et ecclesiasticarum conditio, atque sub Periodi finem hierarchiae splendor iam multum imminuatur.

Primum enarrabimus externam historiam illam hierarchiae cum Papalis tum reliquae, aliasque nonnullas res cum ea coniunctas, tum internam hanc ingenii inter Germanos ulterius excitati et explicati, atque inde orta Ecclesiae emendandae conamina, nunc quidem modo leviora, sed futuris gravioribus praevia.

§ 85.

Gregorius VII.

Prioris huius Periodi partis historiae tradendae filum praebent maxime Papae Romani, omnium saepe rerum ecclesiasticarum moderatores soli, quare horum res praecipue enarrandae.

Uno fere hi omnes per duo saecula aguntur spiritu, quem iis inflaverat Hildebrandus sive Gregorius VII (§ 76), novi regiminis hierarchici auctor. Maximus hic saeculi sui vir, acri praeditus ingenio hominesque accurate dignoscens, ex infimo, quo natus erat, loco ad sedem Papalem adscendit, quam facto fere ab a. 1049, nomine etiam ab a. 1073 tenuit. Huius ambitioni propositum fuit, dira aevi vulnera sanare omniaque adeo emendare sive reformare. Quod ut feliciter perficeret, voluit Ecclesiae regimen, hucusque divisum, primum ad unum trahere Papam Romanum, deinde imperio civili subducere,

denique huic praeponere. Hoc vero ut assequeretur, Legatis suis Episcoporum iura infregit, exemtione monasteriorum sibi Monachos submisit, coelibatu Clericis imponendo hos a mundi societate separavit, Clericorum investitura Imperatori deneganda atque Imperatore contumaci ad tribunal Papale evocando imperium civile hierarchiae Romanae subiecit, alia. Conaminum hucusque vidit successum, ut summam Paparum auctoritatem abhinc omnes agnoverint, coelibatus sensim ubique in usum veniret, Imperator Henricus IV ab ipso excommunicatus, per triduum medio hieme sub dio degens, ipsius veniam precaretur. Attamen deinceps ab Henrico Româ pulsus ipse in exsilium abiit, in quo mortuus est a. 1085.

§ 86.

Bella Sacra.

Dum lis de Clericorum investitura Papam inter et Imperatorem adhuc agitabatur et Concordato Wormatiensi a. 1122 tandem finiebatur, nova res Europae conditionem prorsus immutare coepit. Peregrinatores enim ex Palaestina reduces iam diu multum erant questi de tormentis, quibus ipsos affecerant Mohammedani; unde Europaeis, religionis bellique simul amantibus, auctore Gregorio VII, studium loca sancta recuperandi est ortum. Mox Papa Urbano II stimulante, multa continuo hominum millia a. 1096 expeditionem in Orientem susceperunt, totam Palaestinam et regiones vicinas occuparunt, ipsaque Hie-

rosolyma 15 Iul. 1099 ceperunt, ubi regem fecerunt Godefridum Bullionensem. Altera vero expeditione magna iam opus fuit a. 1147, quam Sancti Bernhardi eloquentia inprimis promovit. Aliae, Papis auctoribus, bene multae successerunt, quibus debetur, ut Hierosolyma per 88 saltem annos, 1099—1187, tenuerint Europaei. Sensim tamen Mohammedani omnibus rebus iterum potiti sunt, et post a. 1291 ne unam quidem arcem Christianis reliquerunt.

Licet vero hac ratione, quod sibi proposuerat Europa consilium, ei non succederet, innumera hominum millia misere perirent, integrae regiones prorsus vastarentur, multos tamen eosque egregios ei tulerunt haec bella fructus. Tutam enim praestiterunt illam a Mohammedanorum occupatione, gentium diversarum coniunctionem insigniter promoverunt, libertatis civilis ubique orientis civitatumque exsistentium incrementa egregie adiuverunt, studio equestri dederunt stimulos, poëseos romanticae iam orientis fuerunt adiumentum, atque universe haec praesertim bella Europaeorum ingenium ex lethargia periculo plena vehementer excitarunt et ab humilioribus rebus ad excelsiores converterunt: — qui pene omnes fructus iam statim post primas expeditiones saec. XII in Europa manifesto cernuntur.

Horum bellorum exemplum secuti etiam sunt Hispani, qui, maxime ope ordinum equestrium, Arabes, Hispaniae dominos, inde a. saec. XII sensim magis vicerunt, ita ut tandem a. 1490 occupatâ Granatâ, ultimâ, quam tenebant Mohammedani regione, Hispania evaserit monarchia Christiana.

§ 87.

Ecclesia Graeca.

Per illa etiam bella novum exstitit commercium inter Ecclesiam Graecam et Latinam, saepe hostile, saepe utrique utile. Hostile maxime fuit, quum expeditio quaedam hominum cruce signatorum caperet Constantinopolin ibique conderet imperium Latinum, quod a. 1204—1261 duravit. Utilis vero Graecis fuit cum Latinis coniunctio, non quidem, qua in gente mortua novus oriretur spiritus vitaque nova: nam omnis ille cruce signatorum fervor reique difficilis et magnae amor nihil in Graecis excitavit nisi iocum, suspicionem, metum: sed quia clades, Mohammedanis ab Europaeis illatae, imperii Graeci ruinam per plura saecula retardaverunt. Latinis item commoda accidit et utilis Graecorum cognitio, tum quo tempore Constantinopoleos pulcritudinem artiumque vetustarum reliquias ibi conspicuas mirabantur et imitari cupiebant, tum quo viros doctos, ex illa urbe a. 1453 a Turcis capta profugos, laete in Italia recipiebant.

§ 88.

Ecclesiae Christianae propagatio.

Idem illud religionis causam vi et armis promovendi studium, unde bella sacra originem trahunt, saepissime sese nunc etiam prodidit, quando Ecclesiam propagare vellent Europaei occidentales.

Sic Wendos, Pomeraniae incolas, sibi subiecerunt Duces Poloniae et tandem a. 1128 Ecclesiae Christianae adiunxerunt; ex insula Rugen a. 1168 Ethnicismum fugavit Daniae Rex; neque aliis mediis ad Sacra nova facienda adducti sunt Finni, Livones, Esthones, Curlandi, ad quos subjiciendos a. 1202 ordo Gladiferorum est institutus. Omnium diutissime restiterunt Borussi, tandem quoque ab Equitibus Teutonicis et Gladiferis a. 1283 prorsus devicti.

In Hispania qui supererant Mohammedani et Iudaei, ab a. 1391 vi et illecebris ad baptismum subeundum cogebantur et Inquisitionis officio ab a. 1478 in Ecclesia retinebantur.

In Oriente, ubi potentia terrena Christianis deerat, melius in propaganda religione versati sunt. Celebre inter Tataros exstitit Iohannis Presbyteri regnum, quod a. 1202 Gengischano succubuit. A. 1307 Archiepiscopatus etiam inter Sinenses in urbe Peking condebatur a Papa Romano; qui vero iam a. 1369 evanuit. Universe radices agere in Oriente altas religio Christiana nondum potuit, quod inprimis apparuit, quum Timur, a. 1370—1405 Asiae mediae dominus, Christianis sese ostenderet infestum.

§ 89.

Innocentius III.

Per duo saecula, quibus illa bella sacra gerebantur, magna erat auctoritas Paparum, qui, quum ip-

sis auctoribus et saepe per Legatos ducibus bella illa fierent, Europae paene totius videbantur domini. At nunc semper imperio civili se praeponere conantes, etiam certaminis Guelforum, ipsis faventium, et Gibellinorum, Imperatoribus Germanicis addictorum, erant auctores praecipui. In hoc certamine celebriores fuerunt ex Imperatoribus Fredericus I et II, e Papis Alexander III a. 1159—1181 et magis etiam Innocentius III a. 1198—1216. Alexandro quidem per Thomae Becketi sanguinem contigit Angliam mox sibi videre subiectam: Innocentius vero omnium Paparum fuit potentissimus. Nempe vir hic magnus, Theologus et Iureconsultus, rebus omnibus sapienter usus, nihil non tentavit, quodque tentavit semper perfecit. Haereticos debellavit, Ecclesiam etiam Graecam sibi habuit subiectam, Reges ipsos alios rexit, alios creavit, alios deposuit. Magna eius imperii fuit vis etiam in saeculis sequentibus, quia nunc exemplum est exhibitum bellorum sacrorum contra Haereticos susceptorum et Inquisitionis tribunal iam est institutum; item monachi mendicantes Dominicani et Franciscani, Papis utilissimi, sunt orti; denique dogmata traditionis ecclesiasticae, transsubstantiationis, confessionis auricularis, Ecclesiae Romanae valde proficua, Concilio Lateranensi, quo de omnibus hostibus atque de ipsâ Ecclesiâ triumphum egit Innocentius, a. 1215 sunt sancita.

Vix tamen diem obierat Innocentius, quum sedem Papalem per multos annos magno contemtu tractaret ac fere ludibrio haberet Imperator Fredericus II † 1250.

§ 90.

Bonifacius VIII et Exsilium Babylonicum.

Tandem vero summam illam, qua per duo saecula plerumque fruiti erant Papae Romani, observantiam et auctoritatem, ipse Papa quidam, Bonifacius VIII a. 1294—1303, vir audax et arrogans, valde minuit. Nam uti Germaniam Gregorius, Alexander atque Innocentius Angliam, sic ipse Franciam sedi Romanae subiicere conatus, maximis excidit ausis. Scilicet neque Regum omnium per bella sacra auctam potentiam, neque inprimis Francos horumque Regem noverat. Itaque quum bullâ editâ vetasset Principes a Clericis tributa exigere, Philippus IV Pulcer, Franciae Rex, prohibuit, ne pecunia e regno hoc eveheretur; quumque gravissima quaeque minaretur et fulmina Vaticana retro vibraret Papa, Rex et populi Comitia constituerunt, nullis aut minis aut fulminibus cedere. Bonifacius, qui eo usque aliquando processerat, ut diceret, haeresin esse Manichaeam, si quis crederet, esse duplicem potestatem seiunctam, saecularem et ecclesiasticam, quum omnia unus posset Papa Romanus, tandem a Philippi Legato oppressus, diem misere obiit a. 1303. Tot autem nunc hominibus orta est persuasio, Papalem auctoritatem nulli superstructam esse iuri et valde esse noxiam, si res saeculares tangeret, ut Bonifacius a multis haud immerito Paparum ultimus dicatur.

Bonifacium auctoritati Papali valde nocuisse atque hanc in ipsius Franciae, quam ei subiicere voluerat,

servitutem tradidisse, mox apparuit, quum Philippus alterum Bonifacii successorem cogeret, in Franciae urbe Avenione sedem Papalem figere. Septuaginta annorum 1305—1377, quod hic degerunt spatium, Babylonicum Paparum exsilium dici solet. Erant enim hîc captivi, qui a Regis Francici nutu pendebant eique ad hostes ipsius debellandos inservire debebant; unde nimbus ille sanctus, qui Papam Romae degentem circumdederat, a Papa Francorum servo prorsus disparuit. Porro consuetis reditibus fere destituti, nunc novos sibi aperuerunt vivendi fontes, haud omnes laudabiles et honestos. Quum vero hi mox ubere fluerent, vitae se dederunt rursus luxuriosae et vitiosae, quae, quo facilius Avenionem patebat iter, eo magis gentibus Germanicis innotuit, harumque indignationem excitavit.

§ 91.

Magnum schisma Occidentis et Concilia Oecumenica.

Tandem huic servituti finem imponere conabatur Gregorius XI, qui a. 1377 Romam rediit; sed iam exsilio finito subsecutum est magnum schisma Occidentis quinquaginta annorum. Nam Gregorio a. 1378 mortuo tam Romae quam Avenione fuit successor, qui uterque se verum dicebat Papam et adversarium anathemate feriebat. Iam quaesiverunt Universitates, maxime Parisina, annon auctoritas esset Papali superior, et Cardinalibus adiudicarunt ius Concilii Oecumenici

convocandi. Coactum est a. 1409 Pisanum, quod Ecclesiam sine Papa constare posse declaravit, utrumque Papam deposuit et tertium nominavit; nec tamen schisma sarcivit: nam duobus prioribus, dignitati suae renunciare nolentibus, tertium addidit. A. 1414 novum convenit Concilium Constantiense, quod cum Ecclesiae schisma sarcire, tum reformationem perficere, tum denique unam doctrinam restituere sibi proposuit. Tribus, qui erant Papae, unum substituit novum, qui vero demum a. 1429 ultimum sibi subiecit Papam schismaticum; praeterea Concilium duo magni ponderis decreta sàncivit, Concilium Oecumenicum esse supra Papam, ac reformatione opus esse Ecclesiae in capite et membris. Idem vero etiam Iohannem Hussum perfide ad rogum damnavit. Novum Concilium, a quo Ecclesiae reformatio instituenda esset, saepe promissum, tandem convocatum est a. 1431 Basileam; quod, omnium Conciliorum longe optimum, multa sibi emendanda sumsit, nec tamen multa perfecit. Nam Aeneae Sylvii † 1464 astutia et Imperatoris Germanici debilitate sensim dissolutum, a. 1449 prorsus evanuit; eiusque decreta, Papae noxia, hic mox Concordatorum ope infregit. Idem vero memoriam rerum in hoc Concilio gestarum, ipsius auctoritati noxiam, ex animis Christianorum evellere haud potuit.

§ 92.

Papae huius Periodi ultimi.

Qui inde a Concilio Basileensi usque ad Luthe-

rum sedem Papalem obtinuerunt, Concordatis initis cum regnis peculiaribus recuperare quae amiserant, haud sine fructu sunt quidem conati; attamen plerique temporibus hisce omnium minime erant apti. Nam postquam Ecclesiae reformatione in capite et membris opus esse, Concilia ipsa Oecumenica declaraverant, Papae fere sunt electi, qui libidine, avaritia, crudelitate, ferocia non modo cathedrae Christianae, sed ipsi generi humano saepe erant dedecori; quales inprimis fuerunt Innocentius VIII † 1492 et Alexander VI † 1503. Ille, qui nothos suos primus publice agnovit, praeterea infamis est legis actione contra fictitia Maleficarum crimina institutâ.

§ 93.

Regimen et ius ecclesiasticum.

Universe ratio illa sacerdotalis, quae saeculo II iam orta erat (§ 40), nunc ad summum pervenit fastigium, adeo ut Clerici dicerent, *se* esse Ecclesiam, *in qua* modo essent Laici. Inprimis hierarchia Romana plane est explicita. Nam Ecclesiae regimen, antea incertum, certius reddidit Gregorius VII, qui Papis summum, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis alterum in eo locum assignavit, sed simul horum iura et officia, in suis quorumque dioecesibus peragenda, per Legatos Papales quaquaversum missos infregit et circumscripsit. Ultimo tamen huius Periodi saeculo valde disputabatur, num Papa Concilio Oecumenico superior esset nec ne. — Ab impe-

rio civili magis magisque se solverunt Clerici, ut scilicet Ecclesia Romano-Catholica unum quoddam per omnem orbem esset regnum firmiter coniunctum, cuius monarcha Papa; unde hic et eius ministri ac subditi plerumque res coelestes longe minus quam terrenas curabant. Igitur Ecclesia continebat omnia, doctrinas, artes, homines, regna: neque enim Ecclesia erat in civitatibus, sed civitates diversae in Ecclesia. Grave tamen huic Ecclesiae regimini infligebatur vulnus, quum Ius antiquum Romanum detegeretur, huiusque principia ad remp. administrandam, exclusis Clericis, ab Imperatore Germanico applicarentur.

Huic vero vulneri medelam afferebat aliquamdiu Gratianus, Monachus Bononiensis, qui ad exemplum Iuris Romani, quod Bononiae inprimis explicabatur, Ius ecclesiasticum, quale Pseudo-Isidorus, Gregorius VII, Innocentius III docuerant, colligere et in ordinem redigere conatus est; idque tanto successu, ut, similibus aliorum conatibus anterioribus iam neglectis, Gratiani *Concordia discordantium canonum*, edita a. fere 1143, mox in Universitatibus una cum Iure Romano exponeretur, novaeque, quae deinde instituebantur, Decretalium collectiones, Gratiani Concordiae tanquam continuationes atque appendices adiicerentur. Hoc autem iure nunc utebantur Papae, quo usurpationem suam contra Reges, Clericos, Haereticos aliquo iuris colore tuerentur.

§ 94.

Doctrina ac disciplina ecclesiastica.

Religionis Catholicae doctrinae, quae hucusque e traditione ecclesiastica, Conciliorum decretis et Patrum scriptis hausta erat, novus aperiebatur fons, Paparum auctoritas; qua nemo audacius usus est quam Innocentius III (§ 89). In hanc doctrinam nunc e Scholasticorum subtilitate opinionum monstra inferebantur, v. c., per opera bona operata mereri Christianos salutem suam; thesaurum esse supererogationis perfectorum, eiusque dispensatorem per indulgentias Papam; Papae esse potestatem non modo poenas ecclesiasticas remittendi, sed quoque e purgatorio liberandi ac peccata condonandi, caet. Porro Sanctorum tum copia tum honor quotidie augebatur; atque inprimis Mariae, Matris Dei, maior fere erat cultus, quam ipsius Dei. Eruditio autem plerisque Christianis aderat nulla; nam Clerus prave, plebs prorsus non instituebatur. Disciplina ecclesiastica, quae poenitentiae faciendae, sive poenarum pro peccatis dandarum, opinioni innitebatur, omnem quidem complectebatur hominum vitam, civilem quoque, quod ei aevo rudi admodum utile erat; sed quamvis valde videretur severa, indulgentiis, pecuniâ datâ acceptis, omnium poenarum remissionem facile acquiri sinebat. Indulgentias, quae olim episcopales erant, papales modo siverunt esse Gregorius VII aliique Papae, easque plenarias maxime inde a bellis sacris concedebant, imo vendebant. Maleficarum vexatio etiam nunc or-

ta, atque inquisitio, i. e. tyrannis in ipsos hominum animos exercita, eaque severissima, quae Haereticos, iuris specie adhibita, crudelissime exstirpabat. Porro excommunicatio et interdictum tela erant letalia, quando nempe a Gregorii VII aut Innocentii III manu vibrabantur: ab alio Papa emissa saepe ridebantur.

Quum vero haec in Ecclesia regnaret doctrina et disciplina, sponte apud plerosque Christianos fiducia, gratiae Divinae secundum Euangelium habenda, et amor, qui inde nascitur, prorsus interibant in novo quodam dogmatum systemate invento ac lege nova exercitiorum arbitrariorum constituta.

§ 95.

Sacrorum ritus.

Ex doctrina et disciplina, quae iam valebant, et ex illis, quae de superstitione ac ritibus antea inventis diximus § 57 et 81, facile coniicitur, qualis nunc fuerit rituum ecclesiasticorum natura. Nulla nempe plerisque Christianis erat Dei veneratio in spiritu et veritate; nulla Verbi Divini coram concione interpretatio ac vix ullum quoque praeconium. Preces vel legebantur vel memoriter recitabantur, atque, iuxta rosarium a Mohammedanis acceptum, Deo annumerabantur. Homiliarum locum occupabat liturgia, eaque Latina, vernaculam, ubi haec adhuc erat, expellens, etsi illa a plebe nusquam intelligeretur. Cum Sanctorum numero in dies crescente augebatur etiam continuo reliquiarum sanctarum copia, quarum vis miraculosa

magni aestimabatur. Sanctorum festi dies ritusque, cum Sacramentis septem coniuncti, magna cum pompa celebrabantur. Praeterea ritus religiosi omnia consecrabant; neque enim Reges, belli duces, equites quidquam sine religione et Clericis efficere valebant. Festi vero nonnulli, v. c. asinorum et risûs Paschalis, sensui non tantum culto, sed communi humano prorsus repugnabant. Attamen talia Sacra celebrare, summa habebatur hominis Christiani virtus, bonumque opus, quo coelum poterat mereri.

§ 96.

Christianorum plerorumque vita et animus.

Severior sane aliquamdiu post Gregorium VII Paparum et reliquorum Clericorum erat vita; deinde etiam Monachi mendicantes primum paupertate et sobrietate eminebant; atque semper Clerici laudabiliores vita coelibe sancte agenda seque castigando et cruciando salutem consequi conabantur; magnum quoque plerique ostendebant amorem, quum a. 1348—1350 mors atra, pestilentia gravissima, in Europa grassaretur. At Clerici longe plurimi avaritiae et libidini se dare solebant. Episcopi fere semper erant bellicosi, veneri dediti vinoque; simonia ubivis erat in usu; coelibatus fons libidinis multifariae et immanitatis horrendae; atque ipsum illud Concilium Constantiense suo vitae luxuriosae et libidinosae exemplo ostendit, verum id esse, quod decreverat, opus habere Ecclesiam reformatione in capite et

membris. Plebis Christianae religio erat, Ecclesiae obedire; virtus, Ecclesiae praecepta observare. Eius melius instituendae Clerici, ipsi maiorem partem rudes et inculti, fere nullam habebant curam, unde illius pars longe maior vitam agere barbaram pergebat (§ 82).

Animus Christianorum plerorumque qualis fuerit, iam facile apparet. Nempe quum ratio esset inculta sensusque moralis parum explicitus, regnabat in iis phantasia, cuius ludibrio omnes res, sacrae quoque, submittebantur. Quum porro essent homines fortes actionisque multae amantes, inani phantasiae ludo indulgere non poterant, sed ardore maximo in omnia, quae phantasia iubebat, agenda involabant. Cuius ardoris exempla luculentissima sunt bella sacra contra Mohammedanos et Haereticos saepe suscepta.

§ 97.

Studia ascetica. Ordines monastici.

Qualis vero hisce saeculis nonnullorum Christianorum fuerit animus paulo excelsior, liquet praecipue ex studiis, quibus indulserunt, asceticis, quae magis quam antea ad utilitatem communem erant directa. Ac per omnem quidem Periodum hanc nullum adeo viguit ac regnavit studium, uti monasticum, in quod ita referebant nunc Christiani omnem religionis vim ac notionem, ut rationem monasticam dicerent *religionem*, eius ordines *religiones*, socios *religiosos.* Inter ordines novos, qui iam haud pauci

exstiterunt, eminent Mendicantes, quorum duo praecipui orti sunt auctoribus Francisco † 1226 et Dominico † 1221. Utrisque hoc erat commune, quod, vitâ per bella sacra in Europaeis excitatâ pleni, atque Equitum (§ 98) et Haereticorum, maxime Waldensium et Albigensium (§ 105), exemplo excitati, e coenobiorum parietibus egredientes populo prodesse vellent. Hoc vero Franciscani sive Minoritae magis assequebantur plebe curandâ, Dominicani sive Praedicatores Haereticis oppugnandis. Quum autem Paparum, quibus semper erant addictissimi, usurpationem saeculo adhuc XV contra Concilia generalia sibi sumsissent defendendam, ipsorum, iam diu degeneratorum, avaritiam ac stupiditatem ita exagitarunt viri cordati et literati omnes, ut favore populari exciderent.

§ 98.

Studium equestre.

Priore huius Periodi parte etiam aliud floruit studium, nempe equestre, quod, iam antea e regimine feodali natum, increvit maxime bellorum sacrorum opportunitate. Tres tunc etiam certi iique monastici exstiterunt in Palaestinâ Equitum ordines, *Iohannitae*, *Templarii*, *Teutonici;* quibus hoc erat propositum primarium, peregrinatores contra Mohammedanos defendere. Palaestinâ vero ab his devictâ, Iohannitae secesserunt in insulam Cyprum ac Rhodum et postea Maltam, unde semper contra Turcas pugnarunt et hos ab Ita-

lia arcuerunt. Templarii abierunt inprimis in Franciam, ubi vero crimina gravissima iis imputavit eosque a. 1307—1314 oppressit Philippus IV, qui illorum potentiam metuebat bonisque inhiabat. Teutonici maxime petierunt Borussiam, ubi incolis religionem Christianam vi et armis obtruserunt (§ 88) ac Germaniam contra Slavonicas gentes defenderunt. Praeter horum ordinum socios alii etiam fuerunt bellatores multi, qui, vitam latronum cum equestri studio commutantes, nunc in Hispania Mauros reprimerent. Hi vero, ex quo res sublimiores, pro quibus pugnarent, cognovissent, iam pro Deo, virtute, honore, feminis, viduis, orphanis vitam impendentes, itemque poësi populari et eroticae sese dantes, Europam omnem peragrabant, studiaque excelsiora, quae ipsi fovebant, in aliis quoque excitabant.

§ 99.

Studium societatum religiosarum.

Posteriore Periodi parte, quum maxime per pulveris pyrii in bello usum vitae equestris et ratio immutaretur et gloria evanesceret, in plebe, maiore religionis desiderio nunc actâ, haud paucae exstiterunt societates religiosae. Praeter multas alias fuerunt *Flagellantium*, qui saeculo XIII in Italia et XIV in Germania interdiu noctuque urbes magnis coniuncti catervis circumibant atque, virgis ad sanguinem usque se castigantes, peccatorum poenas luebant. Laudabiliores erant *Beghinae*, mulieres saeculo

XI sese sociantes, *Beghardi*, viri inde a saeculo XIII, ac *Lollhardi* ab initio saeculi XIV coniuncti, qui omnes, in Provinciis Belgicis orti et inde per Germaniam inferiorem dispersi, pauperibus et aegrotis corpore spirituque curandis magno amore sese dabant. Hae vero societates omnes, quum doctores heterodoxos nec semper possent dignoscere, nec saepe vellent e communione sua eiicere, saepissime in haereseos suspicionem incurrerunt multosque e sociis suis martyrio amiserunt.

Longe etiam prae hisce eminuerunt *Fratres communis vitae*, qui pium animi studium illis societatibus proprium cum idoneo mentis ingeniique cultu egregie coniunxerunt. Auctorem habent Gerardum Magnum Daventriensem † 1384, qui voluit, ut Fratres hi libris classicis et biblicis describendis, cum plebe colloquendo, Sacrâ Scripturâ commendandâ, praecipue iuventute in scholis egregiis instituenda, novum pietatis et doctrinae diem populo oriri facerent; quodque voluit, in Nederlandia et Germania inferiore tam feliciter perfecit, ut non modo ardentius puriusque religionis studium excitaretur inter Laicos, sed etiam Clerici ipsi et Monachi nonnulli mentis animique cultum paulo praestantiorem ibi quaerere inciperent.

§ 100.

Artium instauratio.

Quae §§ ultimis narrantur, iam nonnulla continent ingenii Germanici sese ulterius explicantis spe-

cimina. Nimirum ipsae illae rerum Europaearum immutationes gravissimae, bella sacra, certamina Paparum et Imperatorum, civitates orientes, laetae fuerunt isti ingenio explicando opportunitates. Quod quum e distributione § 84 facta iam ulterius sit exponendum, primum videtur dicendum de artibus, unde gentium rudium cultus initium sumere solet.

Inter artes prima exculta est architectura, eaque prorsus Germanica, quae maxime postquam Germani bellorum sacrorum opportunitate magnifica vidissent Graecorum et Mohammedanorum aedificia sacra, saeculis XI—XV templa ubivis fundavit, grandem referentia imaginem quercetorum, in quibus olim Germani Deos suos coluerant. Statuaria et sculptura, sive ars plastica, deinde templa illa ulterius exornarunt et quasi vivificarunt; at in Italia magis, quam in Europa reliqua. Pictura vero, quae in Italia quoque primum est exculta, inde sese quaquaversum propagavit, atque egregia creavit templorum, monasteriorum, domuum ornamenta. Hae vero artes, quamvis adiuvarentur et quasi alerentur monumentis Graeco-Romanis superstitibus, tamen vim propriam ac radices suas habebant in ipso Germanorum sensu nativo, tam tenero quam religioso. Cuius sensûs vis etiam magis, quam in illis artibus, cernitur in poësi, maxime post bella sacra in Europa meridionali nata. Dicitur fere, quo a classica Veterum poësi distinguatur, romantica, atque sane ab illa tam diversa est, ut prorsus novum constituat poëseos genus, ideis Christianis conveniens hisque excolendis egregie adaptatum.

§ 101.

Philosophia Scholastica.

Ab artibus ad doctrinas transeuntes omittimus Theologos illos, qui *Positivi* dicebantur, nec quicquam ultra verba doctorum vetustiorum, sancte ab ipsis repetita, sapere audebant. Sed cognosse debemus *Scholasticos*, qui suo modo et periculo philosophandi formam habebant syllogisticam Aristotelis, materiam doctrinam Ecclesiae. Illa in scholas a Carolo M. institutas ex Hispania erat allata (§ 79), eique addiscendae libenter se iam dabat Europaeorum ingenium, bellorum sacrorum opportunitate e sopore excitatum, et iam non modo ad res ecclesiasticas et civiles atque ad bella et artes (§ 97—100), verum etiam, inprimis per Imperatores Hohenstaufianos atque commercium cum Mohammedanis Orientalibus et cum Graecis, ad literas ardenter colendas conversum. Ita illae Caroli scholae trivii et quadrivii mox insigniter numero et ambitu sunt auctae, et secundum aevi huius morem, e gentium Germanicarum consuetudine contractum, quo societates quaedam peculiares inire amabant, hîc et illic immutatae in *Universitates*, e quibus celeberrimae nunc exstiterunt Parisina et Oxoniensis. In his maxime iam exculta est Philosophia Scholastica, cuius criterium est, quod in Ecclesiae praxin *philosophice* in *schola* inquireret, ut praxin eam intelligeret et commendaret, cuiusque adeo erat tessera, *fides quaerens intellectum.* Hac docenda maximam nominis famam consecuti sunt Anselmus, Archie-

piscopus Cantuariensis † 1109, qui dogma satisfactionis explicuit et primarius est Theologiae Naturalis auctor; Petrus Abaelardus † 1142, vir ingenio doctrinâque liberiore longe supra aequales eminens; Petrus Lombardus, Episcopus Parisinus † 1164, Magister sententiarum; Alexander Halesius, Franciscanus † 1245, et Albertus Magnus, Dominicanus † 1280, praecipui doctorum Arabicorum cultores et imitatores; Durandus † 1333 et Gul. Occam † 1347, egregii veri et simplicis instauratores.

Maximae autem inter hos aliosque actae sunt lites, in quibus eminent disputationes de Realismo et Nominalismo , Thoma Aquinate † 1274 et Iohanne Duns Scoto † 1308 praesertim auctoribus. Scholasticorum ultimus fere habetur Gabriel Biel † 1495 ; nam tandem Mysticismi, Literarum humanarum ac Bibliorum melius explicitorum vi eo processerant gentes , ut Scholastica ratio, saeculis XII—XIV probata, saeculo XV ipsis antiquata et futilis videretur.

Quamvis vero multae a Scholasticis institutae disquisitiones iure et merito nunc reprehendantur, ac superstitiosa prorsus ab omnibus hisce doctoribus Aristoteli praestaretur veneratio, itemque nulla esset ipsis crisis historica, ac nimia doctrinae ecclesiasticae veneratio: tamen, quum exsisterent, fecerunt, quod isto aevo potuerunt; nempe intellectu rudi subtiliter excolendo cogitandique et disputandi libertate asserendâ, futuro ingenii et animi cultui viam praeparare et munire.

§ 102.

Mysticismus.

Dum Scholastici unice intellectum excolebant, alii, ut animi nimis neglecti indigentiam explerent, sensui inprimis et phantasiae se dederunt, *Mystici* dicti. Horum fons inprimis erat Pseudo-Dionysius Areopagita, qui saeculo IX Latinis innotuerat; eorundem agmen facile ducit Bernhardus † 1153, qui munere modo erat Abbas Clarovallensis, sed ingenio, eloquentia, integritate saeculi sui princeps, quem iam aequales quasi Prophetam et virum Sanctum venerabantur, posteri Patrum Ecclesiasticorum dicunt ultimum. Huic autem non, ut Scholasticis, sese commendabat *fides quaerens intellectum;* verum *metus* erat magis inquirendi et *intelligendi, ne periret fides.*

At maxime post Bernhardum aliquamdiu non purus mansit Mysticismus; nam Scholasticam philosophiam cum eo coniunxit saeculo XII Monachus coenobii Parisini Hugo a Sancto Victore † 1141, vir mente animoque magnus, ab aequalibus alter Augustinus appellatus, qui Scholasticam philosophiam contemplationis Mysticae, qua ad unionem cum Deo perveniret, habebat praeparationem; item Cardinalis Bonaventura † 1274, alii viri simul docti ac pii. Scholasticae autem philosophiae honore decrescente, Mysticismi, eiusque magis Germanici, quam fuerat antea, laus iterum accrevit; cuius celebriores nunc interpretes, iique vernaculâ saepe utentes linguâ, fuerunt Magister Eccardus, Coloniensis † 1329, e quo sua

hauserunt, sed ita ut a contemplatione Eccardi speculativa magis magisque ad praxin et Biblia accederent, Ioh. Tauler, Argentoratensis † 1361, Ioh. Ruisbroek, Monachus Brabantinus † 1381, Thomas a Kempis, Monachus Zwollensis † 1471, alii, inprimis etiam scriptor *Theologiae Germanicae*, a. 1516 a Luthero editae.

Mysticismus per se spectatus noxius quidem est; at medio aevo, Bibliorum lectione commendanda et doctrina morali exponenda atque omnium maxime sensu animoque excolendo et ad bonorum finem, Deum Christumque, extollendo, Christianis valde profuit.

§ 103.

Literae humanae.

Quum sub huius Periodi finem et Scholasticae philosophiae et Mysticae contemplationis laudes marcescere inciperent atque iam per illam intellectus, per hanc sensus satis esset excultus, nunc totum Europaeorum ingenium explicari voluit Providentia Divina per Literas Humanas magis magisque expullulantes et florentes. Referri autem possunt hae literae humanae ad duas species, saepe multum distinctas, saepe arctissime iunctas: vel ad literas antiquas, Hebraeas, Graecas, Romanas denuo cultas, vel ad literas gentium Europaearum recentiores, antiquarum ope nunc primum feliciter explicitas. Laetam earum germinationem cum ipsa poëseos Romanticae et philosophiae Scholasticae et Mysticismi studia praepa-

raverant, tum postea adiuvabant novi, qui exsistebant saeculo XV, ingenii stimuli, ars typographica inventa, Graecorum brevi ante et post Constantinopolin a Turcis captam ad Italos fuga, America ab Hispanis et via in Indiam maritima a Portugallis detecta. Inter celebriores harum literarum fautores et humanitatis adeo instauratores recensendi sunt Itali, Dantes Alighierius, poëseos Italicae cultioris pater † 1321; Franc. Petrarcha, humanitatis antiquae vindex et stator † 1374; Ioh. Boccacius, orationis Italicae prosaicae auctor † 1375. Horum Triumvirorum opera quum admiraretur, explicaret, imitaretur Italia tota, in eam fugerunt Graeci illi docti, literarum Graecarum instauratores praecipui, v. c. Bessarion, Cardinalis † 1472; iamque mox ingens floruit ingeniorum felicium copia, in quibus eminent Laurentius Valla, audax errorum oppugnator † 1457, ac Marsilius Ficinus, Platonicus, primarium Academiae Florentinae, a gente Medicea conditae, ornamentum, † 1499. Porro e scholis quoque Fratrum communis vitae (§ 99) iam prodierunt viri valde literati, Nederlandi, Rudolphus Agricola, elegantiae antiquae cultor † 1485; Desiderius Erasmus, aevi sui apud viros doctos per omnem Europam oraculum † 1536. Item iam in Germania florebat Ioh. Reuchlinus, literarum Graecarum fautor, Hebraicarum instaurator † 1522. Denique et alii multi prodibant viri eruditissimi, qui vero inprimis vivebant in Italia, ubi maior erat animi libertas, reipublicae flos, civium luxuria.

§ 104.

Bibliorum usus et interpretatio.

E triplici hominum Literatorum classe (§ 101—103) iam sensim exstiterunt plures, qui Sacram Scripturam legerent, commendarent, exponerent. Primarium in illis locum occupant Thomas Aquinas, Mystici plerique, Valla, Reuchlinus, omnium maxime, de quo mox plura sunt dicenda, Erasmus. Praeter hos Iudaei nonnulli Hispani, Salomon Iarchi, Aben Esra, Davides Kimchi, Moses Maimonides, alii, per literarum studium, quod Mauris erat, et excitati et opportunitatem nacti, saeculo XII et XIII, Veteris Foederis interpretationi haud spernendam dederunt operam. Item Bibliorum usum commendavit Rogerius Baco, acutissimus Theologiae temporis sui censor † 1294, eaque explicuit Nicolaus Lyranus, Hebraicae linguae peritus, ab opere primario vulgo *Postillator* dictus † 1340. Arte typographica inventa, Biblia V. Foederis a Iudaeis quoque typis sunt expressa et Cardinalis Ximenis auspiciis Polyglotta Complutensia impressa a. 1514—1517, edita 1520 et 1522. Plurimae etiam inde a saeculo XIII prodierunt Bibliorum in linguas Europaeas recentiores versiones; tam a sectis Haereticis, quam ab hominibus Catholicis confectae. Fere omnia autem haec S. Scripturae divulgandae et explicandae conamina gravissimis laborarunt vitiis, quibus demum libera fuit opera, quam in N. Graece Basileae a. 1516 et deinceps edendo, vertendo, explicando collocavit Erasmus. Nulli vero

Biblia legenda magis commendarunt, quam plerique Haeretici et Reformatores, quorum laudibus, S. Scripturae semper datis, praecipue debetur, quod saeculo XV multi essent iique magis honorati Theologi Biblici.— Verum de illis Haereticis et Reformatoribus iam singillatim est agendum.

§ 105.

Ecclesiae emendandae conamina usque ad medium saeculum XIV.

Quum per omnem Periodum hanc morum esset perversitas maxima, regiminis ecclesiastici vitiositas summa, doctrinae theologicae corruptela conspicua, alii mores, alii hierarchiam, alii theologiam emendare conati sunt, alii, studio magis universali ducti, totam immutare et purgare voluerunt Ecclesiam. Vitiorum fons praecipuus vero indies magis cernebatur esse usurpatio Papalis. Nam quum hierarchia Papalis fastigium attingeret, multis patuit, quod antea ipsos latuerat, vitium illius nativum medelâ nullâ tollendum, multique animi quietem a Papa Paparumque decretis recedendo quaerere inceperunt. Excitabantur hi partim per Paulicianos, quorum nonnulli, in Thracia vexati (§ 70), inde per Europam sese dispersérant, et praecipue in Franciae et Italiae confiniis laete excipiebantur. Nominibus *Manichaeorum*, *Catharorum*, aliis insigniti, inde a saec. XI ineunte prodeunt in Francia, Italia, Germania, originis Orientalis specimina haud pauca ostendentes. Dein-

de in Francia meridionali floruerunt Petrus Brusius a. 1104—1124 et Henricus Cluniacensis a. 1116—1148, qui tumultuarie ritus ecclesiasticos aboleverunt magnoque apud plebem gavisi sunt favore; in Belgio similia tentavit Tanchelinus † 1125; in Italia maxime Arnoldus Brixiensis, Abaelardi discipulus, qui, Clero patrimonium saeculare et vim civilem denegans, martyrio periit a. 1155. Celebriores etiam sunt *Waldenses*, qui a. fere 1170 Petrum Valdum, mercatorem Lugdunensem, habuerunt auctorem eximium; hi vitae ac rituum simplicitate et Sacrae Scripturae usu et commendatione valde eminuerunt, ac, saepe vexati, in Alpium vallibus refugia inexsuperabilia invenerunt. Arcte cum his hominibus Bibliorum studiosis coniuncti erant, sententiae magis philosophae ex Manichaeismo oriundae patroni, *Albigenses*, quorum potentia in Francia australi adeo metuenda videbatur Innocentio III, ut primum a. 1208—1215 sacrâ cruce signatorum expeditione eos superaret, deinde Inquisitionis tribunali instituto eorum reliquias exstirpare conaretur. Eodem tempore simile bellum gerebatnr contra *Stedingos*, qui, postquam libertatem Frisiacam contra Comitem Oldenburgensem et Archiepiscopum Bremensem per 40 annos defendissent, tandem a. 1234 illis succubuerunt, pene omnes exstincti. Denique praeter multos alios, inprimis tales, qui societatibus illis religiosis ac practicis (§ 99) erant addicti, ac Mysticos multos, veluti Bernhardum (§ 102), huc referendi sunt Franciscani nonnulli severiores, *Spirituales* dicti, qui paupertatis votum aut rumpi aut eludi non ferebant,

Papam appellare Antichristum saepe haud verebantur, futuramque Ecclesiae emendationem vaticinari solebant. Hos frustra haereticos et schismaticos declaravit a. 1302 Bonifacius VII; sed illecebris eo adduxit tandem Concilium Constantiense, ut cum sede Romana pacem inire viderentur.

§ 106.

Conamina posterioris aevi.

Quae inde a medio fere saeculo XIV instituta sunt Ecclesiae purgandae tentamina modestiora et puriora sunt pleraque. Auctorem primarium habent Ioh. Wicliffe, qui ab a. 1360 in universitate Oxoniensi, *Doctoris Euangelici* titulo ornatus, floruit † 1384. Certavit contra Monachos mendicantes, contra auctoritatem Papae, qui ipsi erat Antichristus, contra purgatorium, indulgentias, transsubstantiationem, alia, omnemque Ecclesiam secundum Biblia, quae Anglice reddidit, ita emendandam esse declaravit, ut Christiani primum mores corruptos, deinde etiam hierarchiam Romanam, denique doctrinam vulgarem prorsus purgarent. Quamvis vero magna floreret apud nobiles et doctos in Anglia viros auctoritate, praecipuam in aliis vim nactus est per Ioh. Hussum, quem Wicliffi scripta excitarunt, ut in Bohemia Ecclesiam funditus emendare inciperet. Quam ob rem ipse quidem perfide a Concilio Constantiensi a. 1415 est crematus: Bohemi vero Euangelicae doctrinae principia, ab Husso huiusque sociis accepta,

diu armis fortiter defenderunt, Concilio Basileënsi concessiones haud spernendas extorserunt sibique libertatem suam prorsus eripi numquam sunt passi. Ipsum vero illud Concilium Constantiense, quod Hussum damnavit, itemque Basileënse hîc non omittenda esse, liquet e § 91. Haec tamen Concilia proprie modo erant certamina aristocratiae Episcopalis contra monarchiam Papalem, adeoque gravissimos modo hierarchiae abusus, non hierarchiam ipsam, voluerunt tollere; nedum omnem Ecclesiae corruptelam sanare. Meliora sibi proposuerunt Gerardus Magnus (§ 99) ac Theologi eximii Francici, Petrus Alliacus † fere 1425, Ioh. Gerson † 1429, Nicolaus de Clemangis † fere 1440, qui magna gravitate et studio indefesso, partim in ipsis illis Conciliis, multifariam Ecclesiae emendationem et desiderabant et adducere conabantur Ex Italicis literarum humanarum patronis unus fuit Laurentius Valla (§ 103), qui exemplo suo palam ostenderet, quantam ad errores Ecclesiae aperiundos vim haberent literae istae. Porro Reformatoris ac Prophetae honores tulit meruitque Florentiae Hieronymus Savonarola, a. 1498 crematus. Longe etiam plura sibi sumserunt emendanda duo Nederlandi, Ioh. Wessel Gansfort et Desid. Erasmus, quorum ille † 1489 ita sese in intimum Sacrae Scripturae sensum insinuaverat, ut doctrinae universae puritate et sublimitate omnes, qui hucusque fuissent eruditi, longe post se relinqueret; hic satyra et iocis contemtos reddidit Monachos ignorantes, antiquitate Graeco-Romana et Christiana illustranda adiuvit homines doctos, exemplo N. F. Graeco edendo et explanando

Ecclesiae prorsus emendandae aliis viris viam munivit.

§ 107.

Periodi totius conspectus.

Hisce temporibus historia Ecclesiae Christianae magnam partem est historia Paparum Romanorum. Nam quia, per civilem Europae conditionem valde turbatam, parva modo est Regum potentia, bellaque sacra nunc gesta Paparum suscipiuntur auctoritate, haec e Gregorii VII consilio iam ad monarchiae universalis fastigium adscendit; ita tamen, ut, perpetuo ad Bonifacium VIII usque accrescens, inde ab hoc semper decrescat.

Primo obtutu per omnem hanc Periodum non nisi misera videtur Ecclesiae conditio. Tyrannis Papalis, ipsius Imperatoris manui sceptrum eripere tentans, omnem pene supprimit ingenii vim, libertatem omnem. Eruditio diu aut nulla est, aut modo Scholastica, quae gravissima quaeque Hierarchiae et Ecclesiae vitia ratiociniis speciosis probare conatur et Mysticismum, a multis partibus laudandum, ac literarum Humanarum instaurationem, quin et Bibliorum usum hostiliter impugnat. Virtus rara est; ipsorum etiam Clericorum mores saepe sunt corruptissimi. Deo gratiaeque Divinae nullus fere habetur honor, qui omnis in Sanctos et bona opera confertur. Cultus cerimoniis constat, maxime inanibus.

At vero non tantum melior saltem Christianorum

fuit conditio, quam vel Israëlitis fuerat sub V. Foedere, vel Europaeis vigente Polytheismo; sed etiam accuratius gentium Europaearum indolem contemplantibus, persuasum nobis fit, hanc ipsam Ecclesiae conditionem perversam sortis melioris esse praeparationem.

Primum enim totius nunc exstitit Europae, antea valde laceratae, coniunctio et unio admodum salutaris. — Porro necesse fuit, ut semel aliquando Ecclesia plane a Civitate seiungeretur et huic praeponeretur, quo ex hominum animis evelleretur error iste perniciosus, multis vero adhuc communis, esse Ecclesiam nihil nisi Reip. bene administrandae partem et adiumentum, illique in posterum oriretur libertas temperata, eius vitae et vigori prorsus necessaria; dum item fuit necesse, ut haec Ecclesiae libertas, iam diu nimia, nunc ad tyrannidem cresceret non amplius tolerabilem, unde ex abusu nasceretur abusûs remedium et malum hoc, ad summum adscendens fastigium, mole ipsum sua mox rueret. — Denique Europae incolae, maxime gentes Germanicae, nunc quasi in pueritia versantur, cui opus est, qua regatur, tutelâ, et, qua vires excolantur, gymnasticâ. Tutor ei est Papa Romanus, communis Christianorum parens, eiusque vicarius Clerus Catholicus, qui a Mohammedanorum imperio securam praestitit Europam, orbis Graeco-Romani reliquias servat, dissidia et rixas suprema auctoritate componit, infantemque satis diu haud inepte instituit. Quum autem postea Papa et Clerus, nimia audens, tutelam adhuc in magis adultos Europae Principes et populos, eam-

que severiorem etiam, exercere vult, hi iam pene maiorennes istam, nunc sibi gravem et servilem habitam, abiicere incipiunt; primum quidem occasione exsilii Paparum Babylonici, deinde schismatis magni Occidentis, denique Conciliorum trium universalium. Gymnasticae veluti exercitia, primum ad corpus, tum ad mentem pertinentia, sunt regimen feodale, bella sacra, Papae et Imperatoris de principatu certamen, Scholasticorum ac Mysticorum et Literatorum pugnae. Quae exercitia Europae maximopere prosunt. Regimen feodale libertatis est praeparatio; bella sacra eidem libertati et mercaturae opportunitatem praebent primam; Papae et Imperatoris aemulatio cavet, ne alteruter Europam plane in servitutem redigat atque vel Civitas absorbeatur ab Ecclesia vel Ecclesia a Civitate; eruditorum pugnae literas alunt, quae, ex Hispania et Constantinopoli mox largius divulgatae, in universitatibus cultae, arte typographica inventa quaquaversum sparsae, magis magisque excitant ingenii vigorem et religionis purioris studium, quippe non mortuae, sed seminibus vitae novae omni modo impletae. Unde fit, ut sub huius Periodi finem Ecclesiae occidentalis formam inveniamus antiquatam, nec gentium Germanicarum indoli magis explicitae amplius aptam. Cuius rei certum praebent indicium crebra illa, etsi plerumque cito suppressa, Ecclesiae emendandae conamina.

PERIODUS V.

A LUTHERO AD FREDERICUM II.

AB ANNO 1517 USQUE AD ANNUM 1740.

ECCLESIA OCCIDENTALIS IN PARTEM EUANGELICAM ET ROMANAM DIVISA.

§ 108.

Periodi argumentum.

Post fundatam a Iesu et Apostolis Ecclesiam Christianam, nullum in huius historia invenimus temporis punctum, quod aut est aut meretur esse aeque celebre, quam quod incipimus contemplari. Nunc enim gentes Germanicas ad ingenii animique maturitatem pervenisse videmus eam, ut, indigentiâ morali et religiosa permotae, Ecclesiae emendationem tentent et perficiant talem, qualem antea ne cogitaverat quidem quisquam. Igitur pro forma antiquata novam apud multos homines religio Christiana formam nunc

suscipit, eamque indoli Germanicae longe aptiorem et universe puriorem, quam hucusque ullo tempore et in ulla gente inveniebatur.

Aliam igitur nunc cernimus dominari gentem; sed etiam alias vires. Quae antea maxime valebant, hierarchia et magistratus civilis, nunc literis et philosophiae locum cedere magis magisque coguntur; neque regnat amplius *Ecclesiae* Christianae auctoritas, simul ac Christianorum *singulorum* persuasio et conscientia suum vindicare inceperunt ius.

Periodum autem hanc ita enarrabimus, ut primum ipsam simus expositari Ecclesiae emendationem, fere nusquam non tentatam, hîc felicius, illic infelicius effectam; deinde explicaturi diversarum, quae iam sunt ortae, Ecclesiae familiarum historiam cum exteriorem tum interiorem; denique nonnulla, quae ad universam Ecclesiae Christianae conditionem pertinent, subiuncturi.

§ 109.

Civilis Europae conditio, ineunte saeculo XVI.

Historiam turbarum, quae iam in Ecclesia res fere omnes immutarunt et magnam quidem in rebus civilibus habuerunt vim, sed harum quoque vim saepe multum senserunt, intelligere non possumus, nisi ob oculos nobis versetur rerum civilium ineunte hac Periodo in Europa conditio.

Nova sensim, post bella sacra et regimen feodale fractum, harum rerum orta erat forma, eaque longe

quam antea melior, legibusque et moribus pacatior. Ab oriente vero saepe ingruebant Graecorum victores, Turcae, quorum vehementiam vix ac ne vix quidem repellebant Hungari et Germani. Germania inter multos distracta erat Principes, quum Comites et Duces, qui olim fuerant Vasalli, iam suarum quique regionum paene essent Domini, atque Imperator parum contra hos valeret. Post Maximilianum † 1519 coronae imperatoriae competitores erant Carolus et Franciscus; ille, iuvenis gravis et perspicax, Hispaniae, Indiarum, Provinciarum Belgicarum, atque partis Italiae dominus, hic Franciae rex, vir sagax et levis, ambitioni ac libidini deditus. Imperator electus est Carolus V, Germanica stirpe ortus. Huic vero, iam ad Europae totius imperium contendenti, abhinc bellum fere fuit continuum cum Francisco I, qui regnum habebat longe minus extensum, sed, Vasallis oppressis, in hoc regno potestatem longe maiorem. — Dum vero hi in Europa media inter se certabant, in Scandinavia imperium prorsus est immutatum. Sueciam enim Gustavus Wasa, vir magno animo et rara constantia excellens, Danorum et Clericorum iugo liberavit patriaeque libertatis et potentiae fundamentum iecit. Mox etiam ipsi Dani et Norvegi suum expulerunt regem, Christianum II, tyrannum crudelem, novamque familiam in thronum vacuum extulerunt. — Denique Angliam regebat plerumque minus, quam vexabat, Henricus VIII, vir iracundus et intemperatus.

Neque minus quam ad regnorum, ad gentium attendatur discrimen. Erant nunc, quum sedes Euro-

paei haberent fixas, in Europa Christiana tres potissimum gentes valde diversae, Latina, Germanica, Slavonica. Ad Latinam pertinent Itali, Hispani, Portugalli; itemque Franci, quamvis hi, magis quam reliqui, ad Germanos accedant. Ad gentem Germanicam ipsi Germani, Scandinavi, Nederlandi, Angli; etsi Angli, magis quam reliqui, Latinis sint cognati. Ad Slavonicam Bohemi, Moravi, Poloni, Russi et nonnulli populi Danubii accolae. — Ex his Germani potissimum fuerunt, qui Ecclesiae emendationem cuperent sibique procurarent.

§ 110.

Forma Ecclesiae occidentalis ineunte saeculo XVI antiquata.

Si Ecclesiam occidentalem, qualis hac Periodo ineunte est, contemplamur, videmus eius regimen, Clericorum plerorumque vitam, religionis doctrinam vulgarem, ritus sacros, verbo, universam Ecclesiae conditionem non amplius satisfacere Christianorum plerorumque desiderio, ideoque aetati sensim progressae non diutius fesse adaequatam. Namque perierant opiniones anteriores illae gentiles pleraeque Graecorum, Romanorum, Germanorum; nova sensim orta erat natio Christiana, cui nunc praeterierat illa puerilis aetas, qua Papis obediverant reliqui Clerici, atque Ecclesiam erant venerati matrem communem civitatium principes, viri nobiles et eruditi, plebs omnis. Scilicet quam perditam iudica-

rent curiam Papalem et totam Ecclesiam, *Clerici* declaraverant eminentissimi, in tria ista Concilia universalia congregati; quare nulla fere erant Ecclesiae vitia, quin a nonnullis saltem Clericis libere castigarentur. *Regibus* ac reliquis reip. rectoribus haud inutile fuerat Philippi Pulcri exemplum (§ 90). Viri *nobiles* non amplius animabantur spiritu equestri, ac nunc, postquam cives, id est medii ordinis homines, liberi et potentes evadere incepissent, longe minus in civitate valebant. Apud *eruditos* in parvo amplius erat honore philosophia Scholastica, quae absurda quaevis dogmata defendere solebat; sed aut amabatur Mysticismus, isque purior et Biblicus, aut antiquitas Graeco-Romana, elegans et pulcra illa, aut Sacra Scriptura, purus veri fons. Ipsa quoque *plebs*, cui item praeterierat aetas poëtica, praesenti Ecclesiae conditione non amplius erat contenta. Melius a multis edocta sive Clericis, sive societatibus religiosis, sive Haereticorum Ecclesiolis, ac vernaculis Bibliorum versionibus iam haud parum utens, contemnere didicerat Clericos plerosque et ideo tantum Ecclesiam depravatam non deserebat, quia melior nusquam aderat.

Verbo, nulla amplius erant bella sacra, nulla religionis Christianae inter Gentiles propagatio, nullaque omnino rerum externarum cura, quia omnes sentiebant hac una re opus esse, ut domus collapsa intrinsecus restitueretur.

Quod alta voce sic enunciare solebat, primis saeculi XVI annis, Desiderius Erasmus, commune orbis literati oraculum, ut nemo non ei assentiretur.

§ 111.

Lutherus Ecclesiae corruptelam explicat.

Haec quum esset rerum omnium conditio, exstitit Martinus Lutherus, vir pius et fortis, Saxo, natus 10 Nov. 1483, qui Ecclesiae corruptelam omnium optime non modo perspexit, sed etiam sensit et expertus est ipse. Peccatorum enim conscientiae medelam in vita monastica inde ab a. 1505 agenda et in corpore flagellis vehementer caedendo, operibusque, quae bona dicebantur, aliis operandis, diu frustra quaesivit: invenit vero tandem in iustificatione gratuita, quam per mortem Iesu Christi a Deo effici atque fide nostra nobis comparari, ipsum docuerant Bernhardus, Augustinus et maxime Paulus Apostolus. Inde ab a. 1508 in universitate Witebergensi, Philosophiam et Theologiam docens, Scholasticos castigabat et interpretabatur Biblia, maxime Psalmos et Epistolam ad Romanos. Anno 1517, quo Theologus quidam Germanus Ecclesiae reformationem dicebat et necessariam esse et perfici tamen non posse, ac quo Universitas Parisina in libello publice edito clamabat, opus esse Ecclesiae emendatione in capite ac membris, quia corruptela iam in infinitum processisset, neque tamen Universitas illa Ecclesiam emendare vel poterat vel audebat: Lutherus, nescius, quantam aggrederetur rem, impudentissimae Tetzelii indulgentiarum nundinationi, thesibus XCV 31 Oct. 1517 affigendis, sese opposuit; nullum adhuc nisi hoc unum in Ecclesia Catholica reprehendens nundi-

nationis vitium, quo vera poenitentia Christiana plane evertebatur. Sed hac de re cum Tetzelio aliisque diu disputans, horum adversariorum imprudentiâ semper denuo excitatus, sensim ad meliorem pervenit mentem, pluraque in Ecclesia agnovit ac reprehendit vitia, quae vero omnia ex hoc ipsi videbantur fluere fonte uno, quod operum humanorum meritis, non gratiâ Divinâ solâ, nos salutem consequi debere, doceret Ecclesia; unde hanc gratiam contra illa merita tuendam sibi per totam sumsit vitam.

Quum vero hierarchia Papalis hanc doctrinae immutationem sibi valde noxiam fore perspiceret, nihil non tentavit, ut Lutherum ad silentium redigeret; at eo eventu, ut iudicium de his rebus habendum sensim etiam magis ad forum populi perveniret, partim disputatione publica Lipsiae mensibus Iunio et Iulio a. 1519 habita, partim scriptis multis Germanice a Luthero editis, in quibus eminet liber, quem, de Ecclesia et Civitate emendandis agentem, viris Nobilibus Christianis, natione Germanica oriundis, inscripsit. Tandem igitur eo processit, ut Papae, qui ipsum 15 Iun. 1520 excommunicaverat, sese obedientiam negare, eius bulla et Iure Canonico 10 Dec. 1520 palam cremandis, coram omnibus ostenderet.

Iam vero tot hominum animos moverat Lutheri causa, ut necesse videretur Carolo V Comitia imperii Germanici convocare; in quibus, in urbem Wormatiam congregatis, rem suam 18 April. 1521 fortiter defendens, Lutherus omnium excitavit ad-

mirationen. Ibi, quod a se scripta revocare noluerat, proscriptus, aliquamdiu latuit in arce Wartburgica, ubi praeclaram confecit N. Foederis versionem Germanicam; dum Imperator, bello cum Francis mox impeditus, pene nusquam Lutheri proscriptionem exsequi potuit.

Egregius Luthero inde ab a. 1518 collega et adiutor fuit Philippus Melanthon, a. 1493 natus, vir mitior, ob eruditionis literariae et theologicae praestantiam ac discipulorum copiam Germaniae Praeceptor appellatus.

§ 112.

Lutherus Ecclesiam emendat.

Ut imprudens Carolostadii Sacrorum emendandorum conamen reprimeret, Lutherus inopinato 3 Mart. 1522 Witebergam rediit; manuque leniori ipse nunc Ecclesiae corruptelae medelam afferre incepit. Verbum Divinum explicari iubet, missam abrogat, vernacule in templis Sacra celebrare hortatur, coenobium relinquit, uxorem ducit. Lutheri causam egregie etiam adiuverant Comitia Germanica 13 Dec. 1522 Norinbergae habita, quae centum de Ecclesiae conditione gravamina Papae obtulerant. Quod deinde Ecclesiae purgandae impedimentum obiicere videbatur ingens, bellum rusticum a. 1525, mox feliciter removebatur; Carolus vero Imperator nodum ecclesiasticum gladio dissecare, quod forte volebat, rebus multis implicitus, non poterat.

Plures iam Principes Germanici Lutheri causam non improbabant; in quibus eminebat Fredericus Sapiens, Saxoniae Elector: mox nonnulli, Iohannes, Frederici successor, Philippus, Hassiae Landgravius, alii, partim ex animi sui sententiâ, partim animo subditorum indulgentes, palam eius sententiam sequebantur. Hi, foedere Torgavico a. 1526 iuncti, primum *Euangelici* dicti, deinde a protestatione, contra humanum in religione constituenda arbitrium, in comitiis Spirensibus a. 1529 exhibita, nomen *Protestantium* acceperunt. Mox 25 Iun. 1530 celebrem Confessionem Augustanam Imperatori et Comitiis tradiderunt, qua reprobata, post novum foedus Smalcaldiae a. 1532 initum, hanc in Comitiis Norinbergicis sibi impetrarunt veniam, ut secundum animi sententiam Deum colerent, donec aut Concilium aut Comitia aliter statuissent.

Paulo minus gravibus nunc a. 1532—1546 ortis temporibus, plures continuo sese Euangelicorum partibus adiunxerunt. Quae inprimis etiam firmatae sunt Germanica totius Codicis Sacri versione, a. 1534 a Luthero absoluta et quaquaversum dispersa. Tandem brevi ante bellum, a. 1546 incensum, Deus placida morte Lutherum abstulit, saeculi sui, virorum magnorum feracis, virum maximum.

§ 113.

Ecclesiae purioris post Lutherum fata.

Bello nunc exorto, Principes Euangelici discordes

a Carolo a. 1547 plane sunt victi. Hic tamen victos non penitus oppressit; sed, ipse Ecclesiae vitia agnoscens multa, a. 1548 librum edidit, *Interim* dictum, secundum quem, usque ad Concilii oecumenici decreta, utrique parti, Euangelicae ac Romanae, res ecclesiasticae essent tractandae. Quum vero Euangelici iamiam interitum metuerent, idem ille, qui prius Carolum contra ipsos adiuverat, Mauritius, olim Dux, nunc etiam Elector Saxoniae, ipsorum res inopinato restituit. Carolum enim, quem subito aggressus est ac fere suppresserat, coëgit, primum a. 1552 transactione Passaviensi, deinde a. 1555 pace Augustana, religionis concedere libertatem eademque Ecclesiae Romanae et Confessionis Augustanae sequacibus iura et privilegia.

§ 114.

Zwinglius.

Interim in Helvetiae quoque parte res sacrae multum erant immutatae. Nempe in Thomae Wyttenbachii, Professoris egregii Basileënsis, discipulis, longe eminuerat Ulricus Zwinglius natus 1 Ian. 1484, liberalioris ingenii animique pii iuvenis, iudicio sano valde eminens. Qui quum 1 Ian. 1519 Ecclesiae Turicensis pastor fieret primarius, Bernhardo Samsono, impudenti in Helvetia indulgentiarum nundinatori, fortiter restitit. Ipsum etiam Reipublicae Senatum ad melius de religione sentiendum sensim Zwinglius adduxit, adeo ut ille mox a. 1520 pastoribus

iniungeret, nihil pro concione dicere, nisi quod diserta N. Foederis auctoritate niteretur; deinde a. 1523 ritus superstitiosos vetaret; tandem a. 1524 imagines e templis tolleret, et reliquos Helvetiae pagos, ut ipsius exemplum sequerentur, invitaret. Pagorum Germanicorum pars, maxime post colloquium Bernense a. 1528 habitum, Turicensibus assensit: Basilea, auctore Ioh. Oecolampadio, viro doctissimo, Berna, opera Bertholdi Halleri, viri strenui. At alia Helvetiae Germanicae pars rudior, in montibus sita, valed restitit; unde a. 1531 breve etiam ortum est bellum, in quo Zwinglius, militum consolator, ipse cecidit.

Dolendum, quod inter hunc, tantum virum, magnumque Lutherum acerbae de S. Coena lites, quae Sacramentariae dicuntur, sint gestae; quas colloquio Marburgensi a. 1529 componere, frustra conatus est Philippus Landgravius, ac Concordia Witebergensi a. 1536 frustra etiam Theologi pacifici Bucerus et Capito.

§ 115.

Calvinus.

Interim Helvetiae pars Latina, quae Francice loquebatur, etiam a Germanis aliquam Euangelii acceperat notitiam. Quod omni puriori in Helvetia Ecclesiae maximo cessit emolumento; nam haec, adhuc tenera, Zwinglio, patre praeclaro, orbata, post varios casus in Helvetis Latinis aliquem nacta est, qui tutoris et patroni personam egregie tuere-

tur, Ioh. Calvinum. Vir hic Franco-Gallus, natus 30 Iul. 1509, Zwinglo austerior, sed non inferior constantiâ, pietate, doctrinâ, superior etiam facundiâ, inde ab a. 1536 Genevae, ubi iter faciens a Gul. Farello, flagranti Ecclesiae purgatore, retinebatur, Ecclesiam ulterius, idque magis secundum Latinorum mentem, emendavit emendatamque defendit ac fima vit. Genevorum praeterea rem literariam et publicam tam sapienter fundavit, ut ei debeatur, quod ipsorum civitas et academia recens condita Ecclesiae emendatae, alterum post Witebergam, diu fuerit praesidium firmissimum. Huius autem academiae quanta esset vis, mox apparuit, quum, Calvini ipsius † 1564 et eius disciputi et collegae Theod. Bezae operâ, theologicum illius systema per utriusque scripta et discipulos quaquaversum propagaretur, atque ab ipsis Turicensibus, praeeunte Henr. Bullingero, altero post Zwinglium Turicensis pagi Reformatore, probaretur.

Caeterum post Zwinglii mortem et ante Calvini famam Basileae a. 1536 obiit Erasmus, olim aevi sui princeps, nunc a Papis, Regibus, viris doctis adhuc magni habitus, sed, quum inter homines fervide bellantes neutrius partis esse vellet, reliquis aequalibus valde exosus.

§ 116.

Ecclesia emendatur in Scandinavia.

Quae in Germania et Helvetia acciderunt, magnam

in reliqua Europa habuerunt vim, de qua iam est agendum.

Secundum Germaniae exemplum mox in Scandinavia a Regibus ipsis Ecclesiae emendatio pedetentim est perfecta. Gustavus Wasa (§ 109), qui omnium applausu a. 1523 Sueciae Rex est constitutus, ope Ecclesiae a. 1523—1544 prudenter ab ipso et Olao ac Laurentio, Petri filiis, Lutheri discipulis, itemque a Laurentio, Andreae filio, in regno omni purgatae, hoc intolerabili cum Danorum, tum Clericorum tyrannide simul liberavit.

In ipsa itidem Dania Reges Fredericus I et Christianus III, subditorum suoque ipsorum desiderio satisfacientes, res sacras sensim purgarunt; donec tandem hic, adiutus etiam a Lutheri amico, Ioh. Bugenhagen, in Comitiis a. 1539 habitis, Ecclesiae emendationem solenniter sanxit, ac Clericorum iugum, sibi populisque suis molestissimum, excussit. — Daniae exemplum secuta est Norvegia a. 1538—1548. — Denique religiosam Daniae et Norvegiae libertatem armis sibi a. 1551 vindicavit Islandia.

Caeterum Scandinavi Lutheranam secuti sunt doctrinae formulam, sed episcopale retinuerunt in Ecclesiae regimine nomen.

§ 117.

In Provinciis Belgicis.

Iam ante Reges Scandinavicos inde ab a. 1520 Edzardus I, Frisiae Orientalis Comes, in ditione

sua secundum mentem Zwinglii Ecclesiam feliciter purgavit. Quod non sine magna fuit vi in vicinis Provinciis Belgicis, quae Ecclesiae emendandae iam diu senserant desiderium. Hae saeculo XVI ineunte pleraeque, medio omnes, subiectae erant Carolo V (§ 109), qui Ecclesiae purgandae studium, ab Erasmo aliisque praeparatum, per Reformatores Germanicos et Helveticos excitatum, a Mennone Simonide prudenter rectum, atque sic indies clarius sese manifestans, igni et gladio penitus exstinguere conabatur. Sic factum, ut Henr. Voes et Ioh. van Essen, Monachi Augustiniani, a. 1523 Bruxellis primi succubuerint Reformationis in Europa martyres. At gentis animum immutare non valuit Carolus. Aut clam in patria, aut palam in exteris regionibus, veluti a. 1550 in Anglia, Ecclesiae Euangelicae sese addixerunt Nederlandi permulti.

Qui post Carolum harum Provinciarum a. 1555 dominus factus est filius Philippus II, Hispaniae Rex, monachorum alumnus, vir durus, nihil non tentavit, quo Ecclesiam puriorem ubique funditus deleret. Nobiles vero Belgici, metuentes, ne religionis causa et obtentu omnis reipublicae periret libertas, foedere solemni a. 1565 icto, hanc servare sibi proposuerunt. Quo foedere plebs spem viresque capiens a. 1566 tumultu gravi imagines templorum ubique multas fregit. Iam Rex valde indignatus magno cum exercitu misit ducem Albanum, qui scilicet sententiam, ab Inquisitione Hispanica latam, qua omnis gens Nederlandica criminis laesae maiestatis rea declarabatur, exsecutu-

rus, contumacem populum puniret et in obedientiam et servitutem reduceret. At huius saevitia Belgas desperantes eo adegit, ut libertatem vi et armis vindicare tentarent. Libertatis vero causam deinde deseruerunt Belgae Celtici sive Wallones, Sacris Romanis addicti, qui mox Hispanos adiuverunt, ut Flandros subigerent. Sic septentrionalibus modo contigit Nederlandis, ut, duce Gulielmo Arausionensi, tyrannidi Hispanicae sese substraherent et unione Traiectina a. 1579 inita rempublicam Belgii Foederati fundarent, quae a Gulielmi † 1584 filiis firmata, libertatis civilis et ecclesiasticae primum, diuque unum, in Europa fuit praesidium. — Cum Hispania autem post 80 demum annorum bellum a. 1648 pacem iniit.

§ 118.

In Britannia Magna.

Varios quoque casus expertum est Ecclesiae emendandae studium in utroque Britannico regno, Anglico et Scotico. Angliae Rex a. 1509—1547 erat Henricus VIII, qui, quum vehementibus animi affectibus traheretur, primum contra Lutherum, ipsi valde exosum, scholasticam de septem Sacramentis doctrinam defendit; mox, ut uxore ipsi importuna liberaretur, Papae divortium neganti obedientiam recusavit, atque a. 1531 ipse se supremum Ecclesiae Anglicanae caput constituit. Hoc facto, duce Thoma Cranmero, viro perspicaci et prudenti, Archiepiscopo Cantuariensi, cum disciplinae ecclesiasticae formam

immutavit, tum Codicem Sacrum Anglice edi iussit; sed eodem interdum rogo Wicklefi ac Lutheri et Papae asseclas cremavit. In his trucidavit Thomam Morum, doctum et pium Erasmi amicum, Sacris Romanis renunciare nolentem. Ei † 1547 successit filius Eduardus VI, puer supra aetatem doctus et pius, qui, Cranmero lubenter obtemperans, Theologos exteros, veluti Bucerum, in Angliam evocavit et Ecclesiam penitus emendare incepit. At quae hunc, a. 1553 iam mortuum, excepit soror Maria, Philippo II, Hispaniae Regi, nupta, omnia a patre et fratre contra auctoritatem Papalem acta rescidit, Cranmerum a. 1556 multosque alios crudeliter trucidavit, Sacra Romana plane restituit. Gratissimum vero Protestantibus Anglicis accidit, quod brevi tantum regnaret Maria † 1558. Quae enim hanc secuta est soror Elisabetha, a. 1558—1603, Ecclesiam iterum purgare est aggressa, ita tamen, ut in Ecclesiae *Anglicanae*, nunc natae, articulos inferrentur principia diversissima Lutheri et Zwinglii, Calvini et Melanthonis; itemque ex Ecclesia Catholica regimen episcopale et ritus multi retinerentur; dum multi Angli, in Germania et Helvetia, quo Maria regnante aufugerant, melius edocti, quaenam pura et vera esset religionis Christianae indoles, iam in patriam reduces, emendationem pleniorem desiderantes, et doctrinam fidei simpliciorem volebant et regiminis formam presbyterianam praeferebant.

Eodem hoc tempore, a. 1560, post multa tentamina, tandem Scotia quoque, auctore maxime Ioh. Knoxio † 1572, viro intrepido, Ecclesiam

secundum Calvini mentem purgavit ideoque regimen presbyterianum instituit; primum frustra repugnante Regina Maria Stuarta, deinde adiuvante huius filio Iacobo VI. Idem hic, quum deinde etiam Elisabethae † 1603, nomine Iacobi I, succederet, tria Angliae, Scotiae et Hiberniae regna primus coniunxit. Hiberni autem pene omnes, origine Celtae, Sacra Romana relinquere nolentes, frustra a Regibus Britannicis poenis praemiisque ad Ecclesiam puriorem excitabantur.

§ 119.

Partim quoque in Francia.

Quo tempore Ecclesia in Germania ac Helvetia emendabatur, similia erant in Francia hierarchiae circumscribendae doctrinaeque purgandae studia, genti ei nativa. Nec tamen his indulsit, qui nunc Franciae Rex erat Franciscus I; nam literis quidem valde favebat, sed Ecclesiam puriorem, quam in Germania adiuvabat, in Francia vi et armis opprimere conabatur. Quod tamen neque ipsi successit et minus etiam Regibus ineptis, post ipsum, per alteram saeculi XVI partem, Franciae thronum occupantibus. Factio tum ibi duplex orta est, *Guisia* et *Borbonia*, ita diverso religionis studio, uti ambitione civili thronique escendendi studio sibi opposita. Illa Sacris Pontificiis addictissima, ut Protestantes penitus exstirparet, bella octo civilia valde cruenta excitavit, et lanienae S. Bartholomaei 24 Aug. a.

1572 fuit causa. Haec malis et miseriae tandem finem imposuit, quum familiae Borboniae caput Henricus IV, ipse quidem, ut Franciae Rex fieret, Ecclesiam Euangelicam relinqueret, at Rex factus fidei pristinae sociis, edicto Nannetano a. 1598, quietem et libertatem concederet.

§ 120.

Ecclesiae emendandae in reliqua Europa conamina.

In reliqua etiam Europae parte rerum sacrarum emendatio multos est nacta amicos, maxime inter Nobiles et Literatos, qui vero in Hispania et Italia parum vel nihil profecerunt. At regionum Austriacarum incolae multi et praesertim Hungarorum pars magna illam receperunt; item Bohemorum et Polonorum pars haud exigua. Denique Borussiae regio ista, quae Equitibus Teutonicis erat subiecta (§ 98), purgatam religionem est professa, atque mox a. 1525 ab Alberto, Equitum Magistro, in ducatûs saecularis formam redacta. Quod Ecclesiae in regionibus vicinis, Livonia et Curlandia, purgandae admodum profuit.

§ 121.

De Ecclesiae emendationis indole et vi.

Si, finitâ Ecclesiae in singulis Europae regionibus emendatae historiâ, iam ad rei summam respicimus, hanc maximi esse ponderis reperimus.

Licet enim latere nos nequeat, sua fuisse Reformatoribus vitia, atque hos nonnulla egisse perverse, nonnulla etiam recte quidem, sed sensu potius obscuro, quam distincta notione ductos: tamen praeter ipsam ab Apostolis fundatam Ecclesiam, nihil in huius historia actum esse liquet, cui indoles tam pura et vis in genere humano tam salutaris fuerit, quam huiusce rei, ab hominibus gestae, a Deo ipso singulari cura propugnatae. Nempe ubi recepta est Ecclesiae emendatio, innumeri nunc sunt aboliti, qui sensim in Ecclesia Christiana succreverant abusus. Papae, Episcoporum, Clericorum auctoritas cecidit; omnium Christianorum sacerdotium est restitutum; omnibus Scripturae inquirendae libertas et facultas est reddita; sacri ritus sunt purgati; ratio monastica et exercitia bonorum operum arbitraria sunt sublata; consilium Iesu coeleste rectius est intellectum. Verbo, pro Lege restitutum est Euangelium, ac multis modis redierunt Reformatores, quo redire voluerunt, ad Ecclesiae primaevae simplicitatem et puritatem.

Nec tamen modo ad conditionem priorem rediit nunc Ecclesia. Nam praeterea, quae illos viros latuit ipsos, a nobis cernitur, altera Ecclesiae emendatae praestantia, sita in ingenii Germanici, quod inde a Caroli M. temporibus sensim ulterius excultum erat, progressione prorsus egregia; qua factum est, ut religionis Christianae vis in interno homine iam longe felicius, quam unquam antea, explicita sit. Nam uti olim in Europa Christiana regnaverat ingenium Romanum, partim

Gentile, partim Christianum; ita nunc, in septentrionali saltem Europa, regnare incepit ingenium Germanicum, Christi spiritum pure recipere studens; unde nihil non boni in Ecclesiam, in literas, in civitatem redundavit.

Sed neque in meridionali Europae parte Ecclesiae emendatae vis salutaris prorsus desideratur; quum ipsa Ecclesia Romano-Pontificia ex Protestantium societate haud parum receperit fructuum.

Caeterum in omni hoc negotio rite est distinguendum inter ideam et rem, principium et effectum. Idea, unde profectum est illud negotium, adeoque Reformatorum etiam principium, sublimiora sunt, quam res ipsa, quae statim effecta est; imo brevi post res haec interitui videbatur proxima, quum Ecclesiam liberam et puram ad servitutem et sordes antiquas reducere conarentur complures illius socii. Attamen pedetentim res ipsa ulterius effecta est, quia idea, a Reformatoribus primum in vitam vocata, deinde numquam in Ecclesia periit, sensim in pluribus Christianis vixit, sensim etiam clarius est explicata et magis Ecclesiae agitavit molem.

§ 122.

Ecclesia Romano-Catholica. — Quanam ratione sese Ecclesiae emendationi opponat.

Ecclesiae emendatae historiâ enarratâ, iam pergimus ad conditionem et fata singularum Ecclesiae familiarum exponenda. Primum in his locum occupat familia Romano-Catholica.

Haec vel potius huius rectores, Clerici et Papae, nihil, quum Ecclesiae pars emendaretur, reliquerunt intactnm, quo veterem retinerent aut recuperarent auctoritatem. Sed neque Leoni X successit, Lutherum opprimere, neque aliis post hunc Papis, iugum servile, semel fractum, iterum Europae Germanicae imponere. Diu quoque, licet omnes Christiani illud saepe postularent, Concilium Oecumenicum, quod lites exortas diiudicaret, ipsi, Concilii Constantiensis et Basileënsis memores, per 25 annos convocare non sunt ausi. Quum vero tandem illud cogerent, res suas tam callide egerunt, ut Concilium hoc, *Tridentinum* dictum, inchoatum a. 1545, deinde saepius intermissum, tandem absolutum a. 1563, Ecclesiam emendatam plane damnaret ipsorumque auctoritatem incertam firmiter stabiliret; quin Ecclesiae partem, Papis fidam, magis etiam quam antea his subiiceret, omnemque ei vitam propriam et spiritum interdiceret.

Ipso tamen illo Concilio mox Papis utilior esse incepit, quae a. 1540 exorta est, Ignatio Loyola

auctore, *Societas Iesu*, quae Papis quasi Praetorianorum cohors est facta. Haec enim callidissima libertatis hostis, ipsis Protestantium armis, nempe literis doctrinisque instituendis, pro Ecclesia Romana pugnavit, atque in dies potentia et opibus crescens, iam ante saeculi XVI finem, opinione publica, quae dicitur, regenda in omni Ecclesia Romana ubique fere omnia potuit.

Utrique huic rei, Concilio Tridentino habito ac Societati Iesu institutae, debet Ecclesia Romano-Catholica, quod post Euangelicorum impetum subsistere iterumque vim haud parvam nancisci potuerit. Aliquam enim in ista Ecclesia effecerunt emendationem istamque reddiderunt quasi arcem inexpugnabilem, cuius vallum erat Concilium illud, praesidium Cohors Iesuitica; praesidium vero tale, quod non modo defendebat arcem, sed saepe etiam felices inde in hostes oppugnantes faciebat excursiones.

Accessit *Inquisitionis* opera, quae hucusque quidem in sola floruerat Hispania; at a. 1542 nova instituta est in Italia, quae doctos et liberales viros oppressit omnes; atque nunc in peninsula utraque non modo rogis exstruendis animos perterruit, sed etiam, scriptorum liberiorum lectione interdicenda, mentis progressus impedivit.

Neque tantum ita Sacris purgandis repugnabat Romana Ecclesia; sed, internecinum in Euangelicos fovens odium, in plerisque regionibus, ubi Ecclesia erat emendata, caedibus et bellis excitatis, auctoritatem perditam recuperare conabatur; veluti in Ger-

mania, Suecia, Provinciis Belgicis, Britannia Magna: atque ubicunque, sive Principum sive populorum ipsi addictorum favore, plura perficere poterat, immaniter et perfide contra Protestantes saevire solebat. Testantur hoc cruenta Euangelicorum in Austria, Hungaria, Bohemia, Polonia oppressio, laniena Parisina a. 1572, edicti Nannetani revocatio a. 1685, Salisburgensium expulsio a. 1732, Waldensium exstirpatio saepius tentata (vide § 125—127).

§ 123.

Certamen Catholicismi contra Romanismum in ea oritur. — Aliae lites.

At vero ipsi Principes et populi Pontificii, Protestantium exemplo edocti, intellexerunt, se, imminutis Cleri immensis et iuribus et opibus, multo beatiores vivere posse; unde in ipsa Ecclesia Romano-Catholica controversiae ortae sunt multae, hac in re fere convenientes, quod *Ecclesiam Catholicam* a *Curia Romana* seiungere volebant. Litium harum prima illustris fuit Papae Pauli V a. 1605—1607 cum Venetis contentio; qua sagaciter contra Papam agenda famam immortalem acquisivit Monachus Paulus Sarpi † 1623.

Successerunt lites, post a. 1640 in Francia exortae, *Iansenistarum*, qui, intus a Reformatoribus non multum dissentientes, eodemque, quo illi, spiritu Augustini severiori animati, vitae et animi commendabant sanctitatem et episcopale Ecclesiae

regimen. Hostes nacti Iesuitas, laxae morum doctrinae auctores Papaeque adulatores, atque per hos Ludovicum XIV et plures Papas, tamen a proposito haud destiterunt, multisque gavisi sunt asseclis, cum in Francia, tum, e Francia pulsi, in Belgicis Provinciis, ubi inde ab a. 1709 Traiecti ad Rhenum sedem etiamnum habent praecipuam.

Denique ipse ille Ludovicus XIV gravissimum Paparum auctoritati inflixit vulnus per *Ecclesiae Gallicanae libertatem*, quae iam diu affuerat, a. 1682 solenniter promulgatam.

Praeter hasce vero etiam aliae fuerunt in ista Ecclesia controversiae, sed theologiam scholasticam magis spectantes, veluti inter Dominicanos et Franciscanos, quorum posterioribus se adiunxere Iesuitae. Horum item doctrina moralis abiit in proverbium pluresque excitavit, quam Iansenistas, oppugnatores.

§ 124.

Papae et reliqui viri Ecclesiae istius celebriores.

Ipsa autem haec Ecclesia Romano-Catholica haud paucos iam protulit viros sive rebus gestis sive literis colendis celeberrimos.

In illis inprimis eminent Papae nonnulli, quales praeter Leonem X habendi Gregorius XIII calendarii emendator † 1585, Sixtus V, Princeps saecularis audax et fortis † 1590, Paulus V, cui cum Venetis fuit contentio celebris (§ 123) † 1621, Ur-

banus VIII, qui postremam curavit bullae *in coena Domini* editionem † 1644, Innocentius XII, qui nepotismum tollere conabatur † 1700, Clemens XI, Papa audax et laboriosus qui bullam *Unigenitus* a. 1713 contra Iansenistas edidit, at, vetustam in Reges saeculares auctoritatem Papalem exercere saepius cupiens, magnis misere excidit ausis † 1721.

Nec pauciores viri reperiuntur eximii, qui ingenium acuebant et literas feliciter colebant; cum ut istas (§ 123) inter se lites gererent, tum ut matrem suam, Ecclesiam Romano-Catholicam, contra Euangelicos defenderent, tum denique ut doctrinarum lucem propagarent et plebem Christianam excolerent. Inter hos reliquis celebriores sunt Nic. Copernicus, qui astronomiae atque per hanc philosophiae et doctrinae omnis fundamentum iecit novum † 1543; Caesar Baronius, Annalium Ecclesiasticorum scriptor (§ 6) † 1607; Paulus Sarpi (§ 123); porro in Francia, Ludovici XIV aetate, Iac. Benignus Bossuet † 1704, eiusque aequalis Franc. Fenelon † 1715, uterque vir ingeniosus, ille vero eloquentia, hic pietate clarior; Petrus Dan. Huëtus, Apologeta † 1721. Etiam recensendi Lud. Ant. Muratorius, antiquitatis omnis peritissimus † 1749, atque nonnulli Iesuitae, veluti Rob. Bellarminius, controversiarum opere scribendo clarus † 1620, et Dionysius Petavius, historiae dogmatum scriptor primus atque chronologiae stator † 1652. Ex Iansenistis eminuerunt cum alii, tum philosophus acutissimus Blasius Pascal † 1662. Quin et in hac

Ecclesia nunc exstiterunt instituta literis colendis unice dicata, uti congregatio Oratorii, ex cuius patribus fuit Rich. Simon, cui S. Scripturae crisis et interpretatio non parum debent atque doctrina introitûs in Codicem Sacrum originem suam † 1712. Altera eiusmodi congregatio erat Benedictinorum S. Mauri, ex qua meri literatorum principes profecti sunt, quorum duos nominasse sufficiat, Ioh. Mabillonem † 1707 et Berh. Montefalconium † 1741, viros omnis antiqui et medii aevi doctrina imbutos.

Hi autem eruditi fere omnes non adeo philosophâ ingenii libertate eminuerunt, quam eruditionis historicae ubertate et elegantia; item longe plurimi in Francia vixerunt, ubi minoris aestimabantur, quam alibi, Paparum decreta. In ipsa tamen etiam Francia multum decrevit Clerus Catholicus uti pietate sic eruditione, quum post edictum Nannetanum revocatum (§ 127) careret aemulatione Cleri Reformati.

§ 125.

Ecclesiae Euangelicae conditio externa. In Germania.

Ab Ecclesiae Romano-Catholicae historia oculum vertimus ad diversam Euangelicorum conditionem intuendam.

In Germania, post pacem Augustanam a. 1555, Ecclesiae purioris primo haud parvos fuisse videmus progressus, sed mox, post Societatem Iesu in

Germania admissam, ne securitatem quidem. Haec enim Societas Principum maxime animum ac mentem occupare conata est; quos, si adhuc erant Romano-Catholici, facile eo ducebat, ut nullos in regione sua Protestantes amplius tolerarent; sin iam Euangelicis se addixerant ipsi, magno numero ad Ecclesiam Romano-Catholicam reducebat atque libertatis Euangelicae reddebat hostes. Inter ipsorum alumnos nemo famosior Imperatore Ferdinando II. Ab hoc in terris Austriacis Euangelici atrociter vexabantur, unde tandem, Bohemis primum a. 1618 religionis et libertatis ergo arma capientibus, bellum exarsit, quod Germaniam per 30 annos misere vastavit. Imperator feliciter pugnando Bohemos subegit, Principes Euangelicos paucos contra ipsum bellantes oppressit, plerosque ignaviâ correptos nihili fecit, edicto Restitutionis a. 1629 promulgato, omnem Germaniae libertatem uti civilem ita ecclesiasticam supprimere est aggressus. Quod quum in eo esset, ut assequeretur, Euangelicorum et libertatis Germanicae causam a. 1630 restituit Gustavus Adolphus, Sueciae Rex, qui, post mortem a. 1632 praematuram, in multis viris, togâ sagâque excellentissimis, ab ipso institutis, diu quasi superstes fuit. Tandem pax Westphalica a. 1648 Euangelicos quidem in terris Austriacis viventes in integrum restituere non potuit: attamen pacem Augustanam sanxit, Ecclesiae Reformatae eadem, quae Lutheranae, iura concessit, Germaniae res civiles et ecclesiasticas ordinavit.

Nec tamen vel post hanc pacem tuti ubivis semper

fuerunt Euangelici, v. c. in regione Palatina; imo publicâ perfidiâ hanc deinde laesit Archiepiscopus Salisburgensis, qui a. 1732 civium suorum triginta millia ob nullam aliam causam, nisi quod essent Euangelici, bonis patriâque expulit.

§ 126.

In Suecia et Britannia Magna.

Libertatem Germaniae vindicare potuit ille Sueciae Rex, quia in suo ipsius regno Ecclesia pura nunc quidem plane erat confirmata. At paulo ante ibidem quoque in magno versata erat periculo. Rex enim Sigismundus, Gustavi Wasae nepos, Sacra Romana instaurare erat conatus, nec prius tuta fuerat ibi Ecclesia Euangelica, quam ille a. 1600 throno esset privatus.

Multum vero longioribus gravioribusque morbis laboravit Britannorum Ecclesia purior. Hanc enim iam aliquatenus turbavit Iacobus I, qui Theologus videri doctus, quam Rex bonus esse malebat, atque inprimis episcopale adamabat Ecclesiae regimen, † 1625. Turbas auxit, qui ipso etiam imprudentior erat, filius Carolus I; qui quum et sine Parlamento regere et Presbyterianos opprimere conaretur, a subditis, religionis nomine insurgentibus, a. 1649 misere vita est privatus. Orta nunc ibi est respublica, eaque non minus ecclesiastica quam civilis, Protectore Cromwello; post quam a. 1660 destructam iterum in thronum est evecta regia gens eadem Stuarta. At

vero novus Rex, Carolus II, quum non modo episcopali Ecclesiae regimini, sed etiam Sacris Romanis clam faveret, idemque post Carolum II † 1685 palam ageret Iacobus II, hic denuo a. 1688 throno est pulsus. In istum iam escendit Gulielmus III, Arausioniensis, qui, ad Gulielmi I exemplar (§ 117), fortiter et prudenter res agens, Protestantibus, tam Britannicis, quam reliquis Europaeis, securitatem maiorem praestitit.

§ 127.

In reliqua Europa.

In Francia non diu gavisi sunt Protestantes iuribus, ab Henrico IV concessis (§ 119); nam qui regnum deinde administravit, Cardinalis Richelius, ipsis urbes munitas, libertatis praesidia, vi et armis a. 1629 eripiens, quietem precariam reddidit. Vel sic tamen magnopere florebat Euangelica Franciae Ecclesia, tam doctrina, quam pietate. Doctrinae amplae et subactae exemplum sunt Sam. Bochartus † 1667, ac Theologi plurimi Salmurienses, inter quos erat Moses Amyraldus † 1664; pietatis, in mediis etiam vexationibus constantis, documenta sunt huius Ecclesiae socii quam plurimi. Peior enim eorum conditio indies fiebat, donec tandem, edicto Nannetano iam diu violato, tandem perfide a Ludovico XIV a. 1685 revocato, publice in Francia tolerari desinebant; quo facto multa eorum millia, qui Ecclesiae Romanae fidem dare recusabant, sese

felices praedicabant, si e patria aufugere potuissent. Nonnulli vero, in deserta et montes profugi, legum iniustitiam ac militum vim nunc latuerunt, nunc vi et armis repulerunt.

Eodem Ludovico aliisque auctoribus, immaniter saepe etiam est saevitum in Alpium incolas innocentes, Waldenses. Simili modo ubicunque regnabant Principes Romano-Catholici, Euangelici dira saepe multa sunt passi, maxime in Hungaria et Polonia, ubi insignis ipsorum pars vexationibus infinitis succubuit.

§ 128.

Ecclesiae Euangelicae divisio in plures partes.

Ad interiorem Ecclesiae Euangelicae conditionem contemplandam transeuntibus, primum in oculos incurrit eius divisio in plures familias, sibi invicem haud raro inimicas. Quae nempe saeculo XVI ineunte in Germania orta erat Ecclesia secundum *Euangelii* vocem emendata et libera, mox ipso Luthero improbante, ex huius nomine sese etiam *Lutheranam* vocare et in huius verba iurare consuevit; ita gravissimum illum repetens errorem, a Reformatoribus strenue oppugnatum, quod partim humanâ, non solâ Divinâ, niti vellet auctoritate. Simile quid alibi accidit. Igitur mox Protestantismus non amplius habitus est sentiendi principium, sed dogmatum systema, atque ex eo pulsus est, quantum poterat, spiritus, ut denuo, sicuti in Ecclesia Romana, reg-

naret litera scripta. Qui quum esset Protestantium error, non potuerunt cavere, quin continuo in plures scinderentur familias et sectas.

§ 129.

Ecclesia Euangelico - Lutherana.

Erroris illius exemplum iam dederant interdum ipsi Reformatores, v. c. Calvinus in Serveto propter dogma condemnando, et iam antea Lutherus in litibus *Sacramentariis* (§ 114) acerbe gerendis. Attamen hoc viro liberali ac magno superstite in plerisque rebus vigebat libertas vere Christiana. Post hunc a. 1546 mortuum Ecclesiae novae Euangelico - Lutheranae caput erat Melanthon, qui ob animi lenitatem et ingenii libertatem statim multis fuit offendiculo, quibus dux et antesignanus erat Matthias Flacius Illyricus, vir de Codicis S. hermeneutica et Ecclesiae historia optime meritus. Ergo Melanthone adhuc vivo lites innumerae sunt ortae, v. c. *Adiaphoristicae*, de libro *Interim* (§ 113) vel accipiendo vel non accipiendo, *Synergisticae* de hominis cum spiritu sancto cooperatione, *Maioristicae* de necessitate bonorum operum ad salutem assequendam, *Crypto - Calvinisticae*, multae aliae. Has tandem, post universitatem Ienensem tanquam sincerae Lutheranae sententiae arcem a. 1558 fundatam, atque oppressam prorsus scholam Melanthonis † 1560 liberiorem, aliquatenus sopivit *Formula Concordiae* a. 1577 composita, quae libros symbolicos sanxit

ac Lutheranae orthodoxiae placita accurate definivit; quo ipso maiorem Ecclesiae Lutheranae partem, quae eam accepit, ab Ecclesiae Reformatae dogmate ac Protestantismi libertate longius distraxit. Qui autem in his litibus agendis vincebantur, Principum saecularium, Ecclesiam Lutheranam regentium, iussu semper dure tractabantur; saepe exsilio et carcere, interdum etiam morte puniebantur.

In hac conditione stabili deinde per omnem hanc Periodum steterunt Ecclesiae Euangelico-Lutheranae, quae in aliis conditae erant regionibus, fere omnes, v. c. in Scandinavia. At haec in Ecclesia Lutherana et in reliqua quoque Euangelica nimia doctrinae solius existimatio vitaeque Christianae negligentia diu adesse non poterat, quin observarent eum defectum multi, ac nonnulli conarentur homines cordatiores supplere. In his primarius erat Georgius Calixtus, qui parvum adscribebat doctrinae et orthodoxiae, magnum virtuti pretium, unde non tantum Lutheranorum cum Reformatis, sed etiam cum Romano-Catholicis in votis habebat coniunctionem; sed hoc successu, ut a multis oppugnaretur ac post annum 1630 novae exarderent lites *Syncretisticae*.

Has exceperunt cum aliae tum *Pietisticae*, ortae, quum Phil. Iac. Spener, vir doctus et pius, indefesso labore a. 1663—1705 pietatem ac sacerdotium Christianorum omnium secundum Biblia promoveret, ideoque orthodoxiae ecclesiasticae pietatem Christianam ac scriptis Theologorum Codicem Sa-

crum ita substituere conaretur, ut a multis haud immerito alter Ecclesiae Lutheranae Reformator habeatur. Eius discipuli et amici, inter quos celeberrimus erat Aug. Herm. Francke, Orphanotrophei Halensis conditor, in universitate, Witebergensi opposita, Halis a. 1694 condita, sedem suam fixerunt, indeque magnam in omni Germania vim exercuerunt. Sic v. c. Gotfridus Arnold † 1714 tandem dogmaticis vinculis liberavit historiam Ecclesiae, ita ut oriri deinde posset historicus egregius Ioh. Laur. Moshemius † 1755.

Lites, quae inter Orthodoxos et Pietistas fuerunt innumerae, tandem coeperunt frigere post a. 1720, quum oriretur philosophia Wolfiana, quam utrique, Orthodoxi ac Pietistae, putabant hostem, omni vi repellendam.

§ 130.

Ecclesia Fratrum Euangelicorum.

Speneri conaminibus incensus et Frankii institutione informatus, Comes Nic. Lud. Zinzendorf ex nonnullis Ecclesiae antiquae Moravicae profugis a. 1722 initium fecit novae Fratrum Euangelicorum sive Hernhuteranorum societatis, quae Ecclesiola esset in magna Christianorum Ecclesia purior, doctrinaque simplici, moribus integris, amore vere Christiano germanae exhiberet pietatis exemplum, quod omnes Christiani sequerentur. Zinzendorfii autem † 1760 instituta quum multum emendasset et promovisset

Aug. Theoph. Spangenberg † 1792, orta est societas angusta quidem et finibus et mente, sed quae exemplo suo praeclaro vim habuit in omnibus Euangelicis et magnam et valde salutarem.

§ 131.

Ecclesia Reformata.

Hoc nomine Reformata Ecclesia a Lutherana erat diversa, quod illa magis esset *Biblica*, haec magis *Euangelica* et *Ecclesiastica*, ideoque illa omnia derivaret e Bibliis, haec ex Euangelii indole et Ecclesiae usu antiquiore; unde Lutherus omnia, quae potuit, apud Romano-Catholicos obvia, retinuit, veteri Ecclesiae tanquam ramum nobilem inoculans modo doctrinam de iustificatione e fide, Reformati omnia, quorum causam sibi in Bibliis invenire non videbantur, aboleverunt. Hinc Ecclesia Reformata tam rituum simplicitate summâ, quam severâ morum disciplinâ se ad Ecclesiae Apostolicae puritatem reformare volebat, quare etiam per excellentiam *Reformata* dicta est Ecclesia; praeterea corpoream Iesu Christi in S. Coena praesentiam negabat; itemque presbyterianam probabat regiminis ecclesiastici formam, etsi hac non ubivis gaudebat; porro sensum mysticum minus, quam notiones claras sequebatur; denique, ne unum quidem habens librum symbolicum, omnibus Reformatis communem, non una erat et simplex uti Lutherana, sed in familias innumeras, multum discrepantes, divisa.

Hinc vero, quod satis diu ea uteretur sortis felicitate, ut litibus dogmaticis, quae Lutheranam statim lacerabant, maneret libera, saeculo XVI et ineunte XVII Principes regionis Palatinae, Hassiae, Anhaltinae, Brandenburgicae a Lutherana ad se recepit transeuntes; servantes tamen, ne pacis religiosae a. 1555 privilegiis excluderentur, symbolicam Confessionis Augustanae auctoritatem.

Neque tamen semper hac libertate et pace est usa Ecclesia Reformata. Nempe quatuor inprimis in ea inveniebantur sententiae variae; primum quidem Zwinglii, porro Calvini, tum Melanthonis, cuius discipulus Ursinus Catechesin Palatinam scripserat Reformatis, denique Iohannis à Lasco, Erasmi sectatoris, qui in Belgio floruerat. Discrimen in hac Ecclesia magnum internum litibus etiam ansam dedit externis. Inprimis alii eius socii leniores, alii duriores de Ecclesiae pace et libertate ac de Divina praedestinatione sententias probabant; de quibus cum alibi, tum in Belgio Foederato sive Nederlandia, acerbe est certatum. Nempe Leidae theologiae Professores erant Iac. Arminius et Franc. Gomarus, quorum ille Erasmi, hic Calvini sententiam propugnabat. Eruditae contentioni magistratus se immiscuit, ita ut, Principis Mauritii gladio adiuti, triumphum reportarent Gomari asseclae. Hugo Grotius, vir literarum antiquarum, iuris ac theologiae peritiâ vitaeque integritate illustris, nunc in carcerem est iniectus, multique pastores Arminiani sive Remonstrantes pii, docti, pacifici a Synodo Dordracena, cui, a. 1618 et 1619 habitae, aderant

etiam Theologi Reformati exteri, munere et patriâ immerito sunt pulsi.

Mediâ viâ incesserunt multi exteri, v. c. in Francia Theologi Salmurienses. Sed neque in ipsa Contraremonstrantium Ecclesia quietem conservare potuerunt Synodi Dordracenae decreta. Mox enim acerbe est disputatum de philosophia sceptica, cuius patronus erat Renatus Cartesius † 1650, in theologiam admittenda nec ne. Quin et brevi post novi schismatis periculum afferebat gravior etiam inter Cocceianos et Voetianos disputatio; quorum illi, Ioh. Coccëii, Professoris Leidensis † 1669, asseclae, Biblia interpretari amabant, hi Gisbertum Voetium, Professorem Ultraiectinum † 1679, sequentes, scholasticam philosophiam propugnabant. Acris haec mox fuit contentio. Nam quamvis scholasticam Synodi Dordracenae doctrinam non aggredi videretur Cocceianorum schola, tamen, e solis Bibliis, non e traditione vel philosophia omnia repetens, eam revera aggressa est, quum methodus Biblica non posset non citius tardius totam eam doctrinam scholasticam evertere. Methodi huius sequelas sibi perniciosas sentiebant mox Scholastici, adeo ut nova synodo eam damnare vellent. At magistratus, litis prioris exitu prudentior factus, synodum novam convenire non permittens, schisma alterum impedivit, lites vero, per saeculum et quod excurrit gestas, sopire non potuit. Sic vero factum est, ut Cocceiani docti, veluti Herm. Witsius † 1708 et Camp. Vitringa † 1722, theologiae et Ecclesiae egregie prodesse possent.

Nihil interim Ecclesiae Reformatae conditionem magis immutavit, quam edicti Nannetani a. 1685 revocatio (§ 127), quae causa fuit, ut ea Ecclesia publice in Francia non amplius subsisteret, indeque multi, inprimis pastores bene instituti, migrarent, qui Francorum linguam, doctrinam, artes per reliquam Europam propagarunt. Inter Theologos patriae exsules fuere criticus doctissimus Petrus Bayle, orator facundissimus Iac. Saurin, alii bene multi; qui liberaliorem eruditionem inter Reformatos, inprimis inter Nederlandos cultiores, valde adiuvarunt.

§ 132.

Ecclesia Remonstrantium.

Schisma inter Remonstrantes et Contraremonstrantes efficere potuerat, leniorem illorum sententiam fugare non item Synodus Dordracena. Nec modo Lutheranis semper placuit, sed etiam in Ecclesia Reformata Angliae et Germaniae multos invenit patronos, quin in ipsa etiam Amstelodamensium urbe a. 1634 Remonstrantium Seminarium est conditum, cuius primus Professor fuit Simon Episcopius, vir facundus et sapiens, post Arminium † 1609 Remonstrantium caput. Sic fundata est Ecclesiola, quae antiquam Nederlandorum de rebus Christianis sententiam agendique rationem prudentiorem et moderatiorem, Erasmum et Hug. Grotium maxime secuta, feliciter est tuita, ac viris doctis, alibi vexatis, sese praestitit asylum, doctrinaeque liberioris praesidium. In-

ter Seminarii ipsorum Professores, post Episcopium † 1643, eminent Phil. à Limborch † 1712, Ioh. Clericus † 1731, Ioh. Iac. Wetstein † 1754.

§ 133.

Ecclesia Teleiobaptistarum.

Uti Remonstrantes liberiorem Nederlandorum in rebus sacris indolem referunt, sic *Teleiobaptistae* eorundem indolem practicam virtutisque studium. Ecclesiae suae auctore primario gloriantur Mennone Simonide, Clerico Frisiaco, viro integerrimo et prudentissimo † 1561. At vero quum nonnulli ad ipsos transiissent ex *Anabaptistis*, hominibus fanaticis, qui a. 1525 bellum rusticum excitaverant et a. 1533—1535 Monasterii tenuerant urbem, ipsi cum his saepe sunt confusi ideoque saepe immerito oppressi et vexati. Inde vero a saeculo medio XVII tandem quiete optata frui inceperunt, cum in Nederlandia, tum etiam hîc illic in Germania septentrionali, unde a. 1735 Amstelodami condere potuerunt Seminarium, ex quo docti multi et probi prodierunt Euangelii praecones.

Multum cum his Teleiobaptistis convenit utraque *Baptistarum* familia, *particularis* et *generalis*, vitae integritate valde eminens, quae in Anglia floret.

§ 134.

Ecclesiae Euangelicae aliae.

Ad Ecclesias Euangelicas etiam referenda *Anglicana*, quamvis regimine episcopali, rituum pompâ, vitae spiritualis defectu, longe magis quam reliquae Protestantium familiae, ad Ecclesiam Romano-Catholicam accedat. Unde non modo multi ab ea, inprimis Cromwelli tempore, desciverunt ad puriores Dissentientium Ecclesias, sed etiam sub huius Periodi finem in ea ipsa sunt orti, at ab ea exsulati, *Methodistae*, cum Pietistis et Fratribus Euangelicis Ecclesiae Lutheranae fervore et studio, non item prudentia et moderatione, comparandi.

Inter innumeras, quae praeter has in Britannia ortae sunt sectae, nominanda *Amicorum* sive *Quakerorum* Ecclesia, a Georgio Fox inde ab a. 1649 instituta, quae fanatismo quieto se dicavit et inprimis floret in America septentrionali, in cuius provincia Pensylvania inde ab a. 1681 libertatis et humanitatis fundavit asylum. Huius familiae hoc est criterium, ut extremum occupet Protestantismi, sacerdotes et ritus externos respuentis, finem.

Item orta est nunc, partim occasionem, partim causam dante rerum sacrarum emendatione, *Unitariorum* Ecclesia, quae a fautoribus praecipuis, utroque Socino, Laelio † 1562 atque Fausto † 1604, etiam saepe nomen Socinianorum habet. Multis haec viris doctis illustrata est; at vero, Trinitatem respuens, Pontificiis ac Protestantibus plerisque aeque

fuit invisa, unde primum in sola floruit Polonia, regione diu liberiore, ibique Racoviae a. 1569—1638; deinde hinc etiam pulsa in Transsylvania modo sedem securam invenit. Magna inprimis virorum in hac Ecclesiola doctorum erat vis in Codicis Sacri interpretatione etiam apud Euangelicos reliquos, quamquam Sociniani Codicis S. adyta spiritualia indigne profanare viderentur.

§ 135.

Ecclesia Graeco-Orientalis.

De Ecclesiae Occidentalis parte utraque multis iam narratis, superest, ut de Graeco-Orientali quoque nonnulla dicantur: sed pauca. Nam Ecclesia haec, quae olim omnium maxime floruerat, omni nunc vi et vigore erat destituta.

Supererant quidem quatuor Patriarchae, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; novi his etiam addebantur, ex quibus praecipue memorandus Moscoviensis ab a. 1589; Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Episcoporum crepabant nomina vetusta; sed externe Ecclesia multis dissidiis misere lacerabatur, interne diu nulla fere ei erat doctrina, nullus vigor, vita nulla. Inter Patriarchas vero Constantinopolitanos, reliquis honoratiores, nomen celebrius est adeptus Cyrillus Lucaris † 1638. Porro Russorum Caesar Petrus I, uti ex toto regno, sic quoque ex Ecclesia barbariem pellere studens, Patriarchae Moscoviensis dig-

nitatem a. 1702 sustulit eiusque loco a. 1719 Synodum Sanctam instituit.

§ 136.

Ecclesiarum diversarum coniunctio.

Quatuor Ecclesiarum maiorum, Lutheranae, Reformatae, Romanae, Graecae, in unam coniungendarum multa conamina frustra sunt instituta. Papa quidem Romanus, praecipue missuum operâ, omnes, nec semper sine fructu, sibi subiicere tentavit. Porro Euangelicos et Catholicos coniungere non potuerunt aut colloquia Theologorum litigantium, aut consilia virorum pacificorum. Imo Iesuitis, qui semper et ubique Euangelicos opprimere conati sunt, nunc saepe successerunt tentamina Principum Protestantium ad Sacra Romana reducendorum. Partim quoque et Iesuitae et Romano-Catholici plures, inprimis Iac. Benign. Bossuetus, speciosis argumentis Protestantes aggressi sunt. Praeterea sine fructu magno Euangelici se Graecis, Graeci se Euangelicis, interdum commendarunt. Quin etiam utriusque Euangelicae Ecclesiae maioris coniungendae, quae diu acerbe litigavit, consilia frustra sunt inita. — Sensim tamen contentionum harum acrimonia mitigata est; atque universe rebus Christianis minus nocuit harum omnium Ecclesiarum inimicitia, quam profuit earundem aemulatio.

§ 137.

Ecclesiae regimen.

Nihil paene magis est immutatum et evasit varium, quam Ecclesiae regimen. Christiani Euangelici sese omnes quidem Papali hierarchiae substraxerunt; verum alii aliam sibi nunc elegerunt Ecclesiae regundae formam. Calvinistae liberum instituerunt Presbyterorum regimen; democraticum placuit regimen Teleiobaptistis et plerisque minoribus Ecclesiis; Zwingliani multum, Lutherani plus etiam magistratui concesserunt iuris. Sueci, Dani, Anglicani episcopale retinuerunt Ecclesiae regimen, cum Civitate coniunctissimum. Quale aristocraticum Episcoporum regimen in ipsa Ecclesia Romano-Catholica restituere conati sunt Iansenistae, itemque Gallicani, inprimis conventu celebri a. 1682, ubi quatuor propositiones Cleri Gallicani, quae Papae iura multum circumscribunt, sunt probatae. At Iesuitae Paparum auctoritatem falli nesciam ac iura in Ecclesia et Civitate prorsus singularia ac paene Divina, indefesso propugnabant studio; ita ut in Europa Latina regnarent, Papae nomine, soli.

Quod vero ad disciplinam attinet: hanc Romano-Catholici fere adhibebant ad hierarchiam tuendam, Euangelici ad mores purgandos, itemque ad orthodoxiam vindicandam.

§ 138.

Ecclesiae Christianae propagatio.

Restat, ut, secundum distributionem § 108 factam, superioribus nonnulla subiungamus, quae ad universam Ecclesiae conditionem pertinent; quo primum referimus religionis Christianae propagationem inter Gentiles.

Huic promovendae iam inde a medio saeculo XVI magnam operam impendit Ecclesia Romana, quae emissis fidei suae praeconibus multas regiones, nuper detectas, sibi adiungere conata est; qua in re agenda nulli ei magis dextere inservierunt, quam Iesuitae. Ex his Franc. Xaverius, Indiae Apostolus, vir fide et fervore, hoc autem saepe inconsiderato, plenus, magna quidem, sed in breve modo tempus, effecit † 1552; alii in Sinensium imperio doctrinâ et arte sese commendarunt et nonnulla Ecclesiae dogmata annunciarunt, idque tanto successu, ut imperante Kang-hi † 1722 tota gens in eo videretur esse, ut unâ cum Imperatore nomini Christiano et Romano sese addiceret; quod vero impedivit cum Dominicanorum invidia, tum Imperatoris novi animus Christo Romaeque hostilis. Alii e Societate Iesu inprimis in America meridionali crucem plantarunt, ubi rempublicam fundarunt ab ipsis administratam, Paraguayam, et incolis et ipsis utilissimam. Ut vero haec aliaque missuum conamina florerent, Romae instituta est a. 1622 *Congregatio* et a. 1627 *Collegium de propagandâ fide.*

Haec dum moliebatur Ecclesia Romana, Euangelici, quippe vix ipsi tuti, primum quidem longe minori se religionis suae propagandae dederunt studio. Angli tamen a. 1649 societatem Euangelii annunciandi instituerunt, et inde a saeculo XVII in America septentrionali Ecclesiae fundamentum iecerunt, auctore prae aliis Ioh. Eliot, viro integerrimo, qui inde ab a. 1646 nomen Indianorum Apostoli meruit. Praesertim Nederlandi in Indiae utriusque colonias, v. c. in insulam Taprobane (Ceylon), Euangelii notitiam pertulerunt. Item Daniae Rex a. 1706 in Indiae colonia Danica Tranquebar missuum stationem fundavit, in qua Franckii discipuli egregie laborarunt. Eodem etiam saeculo XVIII Fratres Euangelici in Indiam occidentalem, Groenlandiam, Africam meridionalem, Americam septentrionalem, aliorsum suos miserunt Euangelii praecones, eosque systemate dogmatico minus impeditos, et amore Christi magis flagrantes, quam plerique Euangelii praecones, aliarum Ecclesiarum socii.

§ 139.

Eiusdem oppugnatio et defensio.

Quo tempore vero in alias orbis partes propagabatur haec religio, in ipsa sede sua Europa a multis est spreta et repudiata. Nempe clariore literarum luce sentiendique libertate, inde a saeculo XVI vindicata, nonnulli sunt abusi ad religionem ipsam, cui ista bona maxime debebant, oppugnandam. Ex his

Iul. Caes. Vanini ob Atheismi crimen, falso tamen inustum, crematus est Tolosae a. 1619, Eduardus Herbert de Cherbury religionem naturalem Christianae praetulit, nec sine causa Deistarum Britannicorum habetur parens † 1648. Post hunc Deismus, nunc religionem Christianam impugnavit, uti antea fecerat Iudaismus, Paganismus, Mohammedanismus. Inprimis in Anglia et Scotia, ubi se invicem laceraverant Ecclesia Romano-Catholica, Episcopalis et Presbyteriana, hic sentiendi modus placuit multis, maxime nobilibus et cultis hominibus, Ecclesiae Episcopalis frigidae olim sociis, v. c. Shaftesburyo † 1713, Bolingbrokio † 1751, Humio † 1776; quibus plerisque commune est studium demonstrandi, sufficere homini religionem naturalem, neque patefactione alia Divina esse opus, quam quae in rerum natura inveniatur. Inter Francos, multo leviores, Voltarius † 1778 ridendo (scriptis multis inde ab a. 1733 editis), Rossavius † 1778 dubitando causae Christianae in tempus damnum grave attulerunt.

Hanc autem religionem contra hostes diversissimos primus omnium felicissime defendit Hugo Grotius, cuius opusculum, multa ex historiâ repetens, in omnes fere linguas est versum. Deinde inter Francos antiquiores eminent Pascal et Huetus (§ 124), qui rationis imbecillitati, inter Anglos Hammondus † 1660, Lockius † 1704, alii, qui et patefactionis et rationis humanae (id est patefactionis, quae et in Bibliis et in rerum natura est conspicua) convenientiae religionis Christianae veritatem superstruere conati sunt.

Hoc autem ista oppugnatio et haec defensio maximum rei sanctissimae attulit commodum, quod magis magisque ipsa perfecta Iesu institutio exploraretur et haec distingueretur ab Ecclesiae dogmatibus, saepe ineptis.

§ 140.

Sacrorum ritus.

In diversis Ecclesiae Christianae familiis, uti doctrina orthodoxa, ita ritus sacri admodum erant diversi. In Ecclesia Graeco-Orientali et Romano-Catholica, quae stabiles esse amant, Sacra iisdem fere ceremoniis ac medio aevo celebrabantur. Romano-Catholici vero nonnulla melius instituerunt et inprimis verbi Divini coram concione interpretationem addiderunt. Inter Protestantes ab his omnium minime distant Anglicani, quippe qui, etsi multa emendarint, cum regimine episcopali etiam ritus multos vetustos retinuerunt. Lutherani quoque altaris, cerearum, crucifixi, imaginum in templis servarunt usum. At Reformati eo usque omnes spreverunt ritus Pontificios, ut initio festos abolerent dies omnes, hymnos, praeter Psalmos, canere recusarent, organa templorum musica frangerent. Egregium vero animi in Sacris erigendi adiumentum inter Romano-Catholicos exstitit musicae in templis agendae et usus maior et emendatio insignis; inter Euangelicos cantus carminum vernaculorum, non choris, sed ipsi populo commendatus. Nulli au-

tem Christiani ritus, religioni spirituali aptiores, in usu habebant, quam Fratres Euangelici.

§ 141.

Christianorum animus.

Tantum universe per hanc Periodum cernitur religionis Christianae studium, ut fere omnes res, usque ad pacem Westphalicam a. 1648 ipsae quoque politicae, e religionis auctoritate peragerentur, huiusque discrimen non modo Germaniam, sed totam Europam in duas divideret partes oppositas. Neque tamen hoc studium semper fuisse purum, satis apparet. Namque se invicem oderant Christiani aliter sentientes, ac saepe vexabant; nec raro consilia politica religionis obtentu dissimulabant civitatium rectores; item aliarum disciplinarum tutelam adhuc gerere cupiebant Theologi, quod non modo Galileus inter Romano-Catholicos, sed inter Lutheranos etiam Keplerus est expertus. Haud pauca quoque supersunt ruditatis et superstitionis veteris vestigia, v. c. in fide astrologiae et praestigiis habita, in studio alchymiae atque arti auri faciendi impertito, in maleficarum poenis inhumanis. Frustra fere aevo inepto sese opposuit Ioh. Arndt, scriptis asceticis vitâque piâ eminens † 1611, ac deinde Ioh. Valentinus Andreae, Theologus Wurtembergensis † 1654, aequales nunc iocis ac satyra, nunc severâ castigatione petens, ut orthodoxiam Lutheranam vitâ probâ ornarent. Tandem Balthasar Bekker, Pas-

tor Amstelodamensis † 1698, Daemonum in hominibus vim oppugnans, et Christ. Thomasius, Philosophus Halensis † 1728, destruenda superstitione veteri, Spener exstruendâ doctrinâ veriore, cum plebis mentem illustrarunt, tum animum purgarunt

Multi autem, praesertim e plebe homines, orthodoxiae mortuae et cavillationum infinitarum pertaesi, iam diu in mysticismo et theosophia animi solatium quaesiverant. Horum duces et patroni erant in Romano-Catholicis Franc. Salesius † 1622, mulieres Francicae Bourignon † 1680 et Guyon † 1717, huiusque amicus celeber ille Fenelon; inter Lutheranos Iac. Böhme † 1624; inter Reformatos Ioh. de Labadie † 1674 eique addicta mulier docta Anna Maria a Schurman † 1678. Plurimi hi inter Euangelicos exstiterunt Periodo hac media, in Germania quidem belli etiam triginta annorum (1618—1648) atrocitate eo pelliciti; nam tum inprimis abundabat haec regio Paracelsistis, Weigelianis, Alchymistis, Astrologis, Exorcistis, somniorum interpretibus; pauciores erant, quum sub eius finem Theologi multi ad Reformatorum exemplar pietatem iterum pro orthodoxia commendarent.

§ 142.

Christianorum vita.

Vitae inter Christianos in melius immutatae etiam hac Periodo haud pauca reperimus vestigia et documenta. Iam illa rerum sacrarum saeculo XVI

emendatio inter Euangelicos novum vitae vigorem ostendebat, et ipsa porro fuit in causa, ut, quum Reformatores ab Hierarchia repulsi ad plebem provocare fuissent coacti, ipsa plebs abhinc longe melius institueretur eiusque feritas emolliretur. Universe e pueritiae et iuventutis in schola et catechesi institutione pendere adultorum vitam et animum, bene perspexerunt Refomatores, Spener, Francke, Iesuitae; quare scholae et catecheseos curam hi omnes gesserunt insignem. Quum porro bona coenobiorum, hîc illic a Nobilibus rapta, in plerisque regionibus Euangelicis ad scholas erigendas adhiberentur, brevi scholarum inferiorum et universitatum ubivis inter Euangelicos fuit copia, earumque in populo omni excolendo vis magna. Nec minor Pietistarum erat successus in vita domestica et privata Deo addicenda; quamvis horum ascetica doctrina, quippe ad pietatis exercitia magis quam ad religionem, sive ad vitam potius quam ad animum pertinens, anxietate quadam haud careret. Universe in ipsa vita non exiguam invenimus pietatem, eamque apud nonnullos valde conspicuam, v. c. apud Reformatores plerosque, Eliot, Spenerum, Lodensteyn, Bengelium; at, quum hominis Christiani insigne non haberetur pietas vel amor, sed orthodoxia, plerumque fere latentem; neque theologiae servili adscribendam auctori, verum potius scriptis asceticis valde laudandis et maxime Codici S. a Laicis trito.

Haec, quae in Euangelica Ecclesia splendet pietatis lux, non prorsus desideratur in Ecclesia Romano-Catholica, quae suis gloriatur Carolo Borro-

meo, Pascali, Fenelone, aliis; atque ipsâ Euangelicorum iam utitur luce, qua suas tenebras paululum dissipet. Sic v. c. Monachi multi antiquorum ordinum inertes esse et laute vivere iam recusabant, multique exsistebant novi ipsorum et Nonnarum ordines, qui literas colerent, instituerent iuventutem, opera caritatis perficerent. Exemplo esse potest vita Vincentii de Paula, a. 1624 missuum internorum, 1634 Sororum Caritatis auctoris; atque congregationes Oratorii et Benedictinorum S. Mauri (§ 124).

Ad Graecorum vero et Orientalium Ecclesias nullus adhuc istius luminis pertingebat radius.

§ 143.

Periodi totius conspectus.

Mirum satis exhibet haec Periodus adspectum, quum longe quam olim splendidior Ecclesiae iam oriatur dies ex schismate tanto, quantum non fuit aliud unquam. Sive enim rei spectes modum, Ecclesia occidentalis in duas dividitur partes, Europa bello et caede impletur; sive rem ipsam, via utrique Ecclesiae parti nunc plane opposita placet, alterâ semper progredi, alterâ immobilem esse amante.

Prior, in Germanicâ Europae parte, libertatis et sanctitatis studiosâ, orta, *Antiromana* sive *Protestans* dicitur, quia contra Papae Romani usurpationem, cui se substraxit, omnemque ingenii servitutem protestatur. Libentius vero dicatur *Euan-*

gelica, quippe ad Euangelium plane sese conformare studens. Nec tamen cavet, quin ex veteri Ecclesia nonnulla reiiciat, haud spernenda, veluti Ecclesiae et communionis studium, itemque ex eâdem nonnulla retineat, haud probanda, inprimis orthodoxiae scholasticae studium, unde multa in ea dissidia nascuntur ipsaque in plures dividitur familias. Ex his Ecclesia *Anglicana*, et regiminis forma et ritibus pompaque, magis quam reliquae, Romanae refert Ecclesiae imaginem. Nonnullis item ritibus sensuque obscuro huic similis est Ecclesia *Lutherana*. Magis ab ea dissidet, praesertim notionum clararum studio, *Reformata*. Minores vero familiae, inprimis *Remonstrantes*, liberum sanctumque Christi omnium rectissime percipiunt consilium. Quod secus fieri non potuit; nam plerorumque Christianorum ingenium mediis saeculis adeo assuefactum erat servituti, ut nisi iam in maioribus familiis librorum symbolicorum et orthodoxiae ecclesiasticae veluti tutela affuisset, libertas insolita ibi mox in licentiam effrenatam degenerasset.

Altera Ecclesiae occidentalis pars, in Europa Latina, magis sensuali et servili, vigens, *Romano-Catholica* vel et *Romana* dicitur, quippe quae, maiori etiam quam antea ardore, nunc ad Papae Romani dictata sese conformare et immobilem se reddere studet. Et Papa quidem ac Clerus Romanus eandem se etiamnum, quam mediis saeculis, affectare dominationem, haud semel ostendit, non tantum quamcunque fere cohibens Ecclesiae emendationem et Euangelicos plerumque perfide tractans, sed etiam ipsos Laicos

Romano-Catholicos inique et imprudenter opprimens. Ad imperium vero ipsius corroborandum Ecclesiamque in eodem semper statu firmandam, instrumenta ei iam sese praebent aptissima Concilium Tridentinum et societas Iesu, quibus ille cupide utitur. Nec tamen insitam ingenio humano evellere potest libertatem ac desiderium liberationis a peccato animum turbante. Ipsam enim Romanam Ecclesiam, neutri satisfacientem, a Papa et reliquo Clero haud immobilem esse redditam, vel solae docent lites Iansenisticae.

Quae autem Ecclesiae hac ratione divisae est causa, rerum sacrarum saeculo XVI emendatio, cum generi humano tum Ecclesiae ipsi maxime prodest. Inter Euangelicos Codex Sacer legitur, restituitur cum singulorum hominum animi libertate ipsa publica universarum civitatum libertas, florent doctrinae et artes, pietas excolitur interna. Divisio etiam Ecclesiae Christianae, quae nunc oritur, eidem nocet quidem, at longe magis prodest. Singulae enim nunc familiae doctrina et virtute sese munire coguntur, quibus hostilem reliquarum aggressum repellant, et libertas hîc fugata, ibi invenit asylum. Quare quamvis per hanc Periodum Ecclesia interne sit scissa, externe non multum propagata, quin a Deistis hîc illic valde labefactata: tamen haud pauca emendationis laetique progressûs indicia exhibet.

PERIODUS VI.

A FREDERICO II USQUE AD HAEC TEMPORA.

AB ANNO 1740 USQUE AD ANNUM 1851.

SALUTARIS EUANGELII RENOVATI VIS, PRIUS IMPEDITA, DENUO PER TOTAM ECCLESIAM SESE EXTENDERE INCIPIT.

§ 144.

Periodi argumentum.

Nova rursus hisce temporibus oritur Ecclesiae Christianae facies, vita nova. Primum quidem nihil videmus, nisi quod gravissima ei minabatur pericula, quum tantus esset apud multos fidei defectus, ut Ecclesiam funditus evertere conarentur, neque vererentur publice clamare, abrogandam esse religionem Christianam, quippe antiquatam, imo in Francia eam re et facto aliquamdiu abrogarent. At vero mox oritur Ecclesiae et Reipublicae sejunctio et in Germania

doctrinae Christianae purgatio, quae in omni Ecclesia Euangelica atque etiam in Romano-Catholica vim magnam exercet; in Anglia studium huius religionis quaquaversum propagandae valde salutare, quod ad omnes penetrat Christianos.

A literis rebusque civilibus immutatis incipientes, porro narrabimus, quae in Ecclesia Romano-Catholica acciderunt, huius conditionem externam et internam magnopere immutantia; deinceps exponemus, quae inter Euangelicos sunt acta; denique nonnulla, quae ad omnes Christianorum familias spectant, subiungemus.

§ 145.

Literarum ac rerum civilium immutatio. — In Germania saeculo XVIII.

Quam Ecclesia hac Periodo subiit, commutatio valde coniuncta est cum novâ literarum ac doctrinarum omnium luce et cum novâ eâque liberiore civilis societatis formâ, his temporibus ortâ; unde lucem illam et formam hanc paucis attingere, prorsus est necesse.

Literarum lux orta est in Britannia et Francia, ubi, dum alibi tantum docte ac Latine res omnes agebantur, inceperunt viri aliquot magni populariter et vernacule tractare cum literas, tum res omnes civiles. Quod autem ibi *scribere* inceperant, idem *agere* coepit Fredericus II, Borussiae a. 1740—1786 Rex, maximus aevi sui vir, qui loquendi scribendique li-

bertatis, fere illimitatae, in civitate ferendae, exemplum illustre dedit. Quod ita imitatus est Iosephus II, Germaniae a. 1765—1790 Imperator, ut tamen modum tenere negligeret.

Horum Principum et tempore et operâ cultus nationis Germanicae exstitit, multo quam antea maior, et literarum doctrinarumque flos pulcerrimus. Nam nunc exstiterunt Poëtae egregii, veluti Klopstock, Schiller, Göthe, Philosophi, veluti Kant, historici veluti Ioh. Muller, quales nulla adhuc in Germania tulerat aetas.

§ 146.

In America septentrionali et Francia ante a. 1793.

Eorundem Principum Germanicorum tempore Britanniae imperio sese liberarunt ipsius coloniae Americae septentrionalis a. 1773—1782, atque, Europa admirante et adiuvante, novam fundarunt rempublicam plane liberam. Nulli magis quam Franci Americanos et antea adiuverant et mox sequi conati sunt. Quum enim iam diu scriptores, quos lectitaverant, Fenelon, Montesquieu, Voltaire, Rousseau, Encyclopaediae editores, alii, reipublicae bene regundae speciem perfectam in ipsorum animum infixissent: a qua specie multum abfuerat Ludovici XIV et XV regimen: porro quum iam virtute destitutus esset populus, pecuniâ fiscus, auctoritate Rex, miseraque inter ipsos esset imperii totius conditio, hanc non

adeo singulorum civium virtute promovenda, quam formâ civitatis totius immutandâ, penitus emendare tentarunt. Igitur Nobilium et Clericorum privilegiis omnibusque regiminis feodalis reliquiis a. 1789 abrogatis ipsoque Rege Ludovico XVI a. 1793 iniuste trucidato, e regno fecerunt rempublicam, multorum civium sanguine foedatam.

§ 147.

In Europa et America post a. 1793.

Populi Europaei plerique, qui primum novas Francorum res probaverant, deinde cum Principibus suis bello eos sunt aggressi; sed tam infelici eventu, ut Franci, ubivis fere victores, respublicas ad Francicae civitatis formam expressas in Italia, Helvetia, Nederlandia erigerent, atque porro, Napoleone primum Consule et deinde Imperatore a. 1799—1814, Europam, inde a Gadibus usque ad Moscuam, bello et caede implerent, eiusque partem magnam plane immutatam cum Francia coniungerent. Napoleone a. 1814 et iterum a. 1815 devicto, multa in Europa melius quam olim sunt instituta, populorumque libertatis civilis desiderio magis satisfactum. Maioris tamen, quam qua fruebantur, libertatis amor, isque haud raro immoderatus, sese patefecit in Hispanis et Neapolitanis a. 1820 et Pedemontanis a. 1821, contra Principes suos, sine Ordinibus et cum Clericis regnantes, insurgentibus.

Omnem vero Europam concusserunt res civiles in

Francia denuo novae, quum a. 1830 Carolus X eiusque familia throno pelleretur. Mox enim non modo Belgae et Poloni Reges suos itidem abiurarunt; sed ubivis, etiam in Hispania et Portugallia, libertatis maioris desiderium est excitatum, cui indulserunt multi civitatium Rectores, volentes nolentes. Hinc in multis Germaniae regionibus leges de imperio aliaeque meliores sunt latae, et Britannica inprimis regna aevi medii reliquias, nostris temporibus non adaptatas, plures nunc abrogant.

Tandem Regem a. 1830 electum, Ludovicum Philippum, throno a. 1848 denuo privarunt Franci, nunc rempublicam iterum proclamantes, cuius dominum 2 Dec. 1851 se iam fecit Ludovicus Napoleon.

Res autem a. 1848 in Francia novae Italiam, Germaniam ac Hungariam vehementer turbarunt. — Prius iam, nempe inde ab a. 1821, Graeci Turcarum iugum frangere inceperant; itemque maria iterum transgressum erat libertatis studium, quod Americae meridionalis colonias Hispaniae et Portugalliae eripuit.

Quod vero nunc in una aliqua fit regione, statim cognoscitur, dijudicatur ac saepe itidem perficitur in multis aliis, quum eae sint iam terra marique celeriter coeundi viae, quas nulla adhuc vidit aetas.

§ 148.

Papae.

Magnam hae res civiles prorsus immutatae habue-

runt vim in Ecclesia tota, multis modis cum rebus civilibus coniuncta. Videbimus primum de familia Romano-Catholicorum.

Omnia ista quum in civili Europae conditione immutarentur, soli immoti esse voluerunt plerique huius Ecclesiae Clerici, praesertim Papae. Ex his laudandi Benedictus XIV a. 1740—1758 et Clemens XIV 1769—1774, quorum ille doctrina et probitate, hic virtute et Iesuitarum proscriptione celeber. Post hunc sedem Romanam tenuit Pius VI 1774—1799, qui Iosephi II innovationes, vel itinere a. 1782 Vindobonam facto, frustra impedire conatus, tandem Febr. 1798 a Francis imperio saeculari est privatus ac Aug. 1799 misere diem obiit. Sequebatur eum Pius VII 1800—1823, qui, etsi a Napoleone saepius (1808—1813) dure tractatus, propositi semper manebat tenax, atque a. 1814 cum imperium saeculare denuo acquisivit, tum Iesuitas et Inquisitionem instauravit, tum denique a. 1817 societates, Bibliis spargendis destinatas, generis humani pestem declarare est ausus. Hunc excepit Leo XII 1823—1829, cui successit Pius VIII 1829, 1830, qui, uti priores illi de veteri Paparum superbia et arrogantia nihil remiserunt, et pristinam auctoritatem, maxime Concordatorum et Iesuitarum opera, restituere tentarunt. Contra Gregorium XVI 1830—1846, post res iterum in Francia novas, a. 1831 et 1832 rebellarunt ipsi Statûs Ecclesiastici cives, quam regionem fere semper misere esse administratam, est in confesso. Idem quoque hic Papa nunquam vel aliquid de medii aevi rogationibus remisit, quod in-

primis ostendit, quum a. 1837 Archiepiscopum Coloniensem sede sua movisset Rex Borussicus. Qui eum a. 1846 excepit, Pius IX, primum multa emendare volebat, tum, rebus novis a. 1848 abreptus, omnia funditus instaurare conabatur, denique nunc ad vetusta regiminis Papalis principia redit; quare a. 1850 Angliam ipsam aggredi ibique suâ auctoritate hierarchiam Romano-Catholicam instituere est ausus.

§ 149.

Ecclesia Romano-Catholica ante res in Francia a. 1789 *primum novas.*

Iam inde ab huius Periodi initio Paparum et omnium Clericorum Romano-Catholicorum auctoritas multum est debilitata tam libris editis, quam Principum nonnullorum operâ. In illis eminet scriptum *de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis*, a *Ioh. Nic. ab Hontheim*, fictitio *Iustini Febronii* nomine, a. 1763 editum; in his nemo plura ausus est, quam Iosephus II Imperator. Hic enim monasteria sustulit multa, Clericos melius institui iussit, ritus sacros purgavit, suae regionis Ecclesiam imperio Papali nimio liberavit; item adiuvit Germaniae Archiepiscopos, qui Congressu Emseriano a. 1786 Papae usurpationem limitare conabantur. In ipsa Italia cum alii tum Iosephi frater Leopoldus, a. 1762—1792 Tusciae Dux, adiutus ab Episcopo liberali Scipione Riccio † 1810, multa emendavit. Eodem tempore

Portugalliae conditionem, cum reliquam tum ecclesiasticam, in formam meliorem reduxit Pombalius, a. 1750—1777. Hic, Minister regius, etiam incepit proscribere Iesuitas, quod imitati sunt mox Franci multique Principes, ac tandem a. 1773 perfecit ipse Papa, ab illis coactus.—Nullius tamen horum virorum conamina Ecclesiae conditionem nunc quidem statim in tempus diuturnum emendarunt: at reliquerunt exempla ab aliis viris sequenda, seminaque sparserunt tempore meliore fructus latura.

§ 150.

Eadem Ecclesia tempore Reipublicae Francicae et Imperatoris Napoleonis, a. 1789—1814.

Longe maior, quin non delendus, fuit rerum in Francia novarum in Ecclesia effectus. In ipsa quidem Francia, ubi Voltarii et Rossavii scriptis omnique philosophiâ, quae prorsus erat sensualis, iam diu rerum Christianarum honor erat inquinatus, Ecclesia mox a. 1789 a Republica seiungebatur, et Clerici privabantur privilegiis et bonis, quae declarata sunt bona publica. Brevi post religio Christiana, quae plerisque videbatur antiquata, exercitio publico privata est. Iam cultus Rationis tanquam Deae a. 1793 est orta, temporis computandi mos, Christianis consuetus, novâ aerâ mensiumque divisione inductâ, est abrogatus, atque Theophilanthropi, homines religionem a virtute parum distinguentes, religionem aliquam naturalem publice instituerunt a. 1796—1802.

Tandem vero Ecclesiam Romano-Catholicam Concordato, a. 1801 inito, ita restituit Napoleon Reipublicae Consul, ut tamen Euangelicis eadem concederet iure. Imperator hic etiam a. 1811, per Synodum Parisiis habitam, conatus est Franciae Ecclesiam vere Gallicanam reddere; sed frustra. Thronum a. 1814 reliquit stirpi Borboniae.

Magna autem Francorum et dominationis et exempli etiam in aliis regionibus erat vis, praesertim in Italia, Hispania, Belgio, ubi magis minusve Ecclesiae tutelae nunc substrahebatur Respublica, quae quum olim *theocratica* esset, iam fiebat magis libera et *civilis.* Ergo mox Clerici Pontificii auxilio destituebantur Principum armato, monasteria multa tollebantur, multa Ecclesiae bona in fiscum publicum redigebantur. Nusquam vero vis haec erat maior quam in Germania, ubi multae magnaeque illae ditiones terrenae, inde ab Ottone I Clericis datae (§ 80), a. 1803 mutatae sunt in saeculares, unde Principibus, qui terras suas trans Rhenum sitas, a. 1801 Francis traditas, amiserant, indemnitas pararetur.

Franciae et Europae exemplum imitatae sunt Respublicae novae, ex Hispaniae et Portugalliae coloniis in America australi ortae; quae, quamvis nullos fere habeant cives, nisi Romano-Catholicos, tamen Ecclesiae huius iura et privilegia multum circumscripserunt novoque cultui liberaliori viam aliquatenus muniverunt.

§ 151.

Eadem Ecclesia post Napoleonem, a. 1814—1851.

At in Europa et in ipsa Francia post Napoleonem devictum, ea omnia, quae amiserat, haud sine fructu recuperare conata est Ecclesia Romano-Catholica. Orta est, Iesuitis (a. 1814 a Papa Pio VII instauratis) maxime auctoribus, coniuratio immensa, cuius centrum erat in Congregatione Apostolica, quae dicebatur, cui hoc erat propositum, populo oppresso mundum inter Clericos et Nobiles iterum dividere. Cui conamini, quum ara throni firmamentum et a conspirationis sociis diceretur et multis revera videretur esse, mox favebat gens Borbonica, quae ideo a Napoleonis vestigiis in Ecclesia regunda, initio pressis, deinde sensim magis recessit. Primum cruentae in Francia meridionali a. 1815 et 1816 exstiterunt Euangelicorum caedes, quas nemo ultus est; mox instituta monastica, iam diu antiquata, instaurabantur, Iesuitae quaquaversum missi plebem Francicam excitabant, eique miracula nova exclamabant, universitatem vero (sive literarum institutionem a civitate rectam), scribendi libertatem, philosophiam, quin et Codicem Sacrum vernacule redditum tanquam societatis pestes condemnabant. Haec vero aliaque contra libertatem civilem tentata, ita repugnabant populi ingenio, ut hic a. 1830 non modo iterum pelleret una cum Iesuitis familiam Borbonicam novumque crearet Regem, Ludovicum Philippum, liberius sentientem;

verum etiam odium nunc foveret in Ecclesiam tale, quod ne subtilissimis quidem speculationibus removere possent Clerici nonnulli peritiores, v. c. Abbas facundus de la Mennais; nec minuere multum pauci illi, qui religionem et rempublicam, libertate Ecclesiae Gallicanae vindicanda, simul tueri volebant, veluti Episcopus Gregorius † 1831. Levius autem gentis Francicae ingenium impedit, quominus curet multum res ecclesiasticas et pro prava religionis forma novam sibi acquirere conetur meliorem. Quam vero salutem pene frustra ei a. 1830—1842 exhibuerunt Abbas Chatel, novae Ecclesiae Catholicae Francicae auctor, et Simonistae, qui institutum suum mundanum satis inepte dixerunt religionem novam: hanc magis forte illi procurabit institutionis inferioris emendatio, quam imperium civile Ecclesiae loco sibi ab a. 1833 sumebat perficiendam.

Quum vero Rex, Ludovicus Philippus, ipse quoque nec Iesuitis nec Demagogis fortiter resistere auderet, hic etiam (Febr. 1848) throno deiectus est ac denuo Respublica proclamata, cuius dominus (Dec. 1851) Ludovicus Napoleon, in Militum ac Clericorum favore usurpationis fulcrum sibi iam quaerit.

Quaecunque vero in Francia fiebant, et Iesuitarum successus ante a. 1830, et eorundem defectus post hoc temporis punctum, et novae eorum vires post a. 1848, non sine magna fuerunt efficacia in reliqua Europae parte, quae Sacra Romano-Catholica sequitur. Clerici, Nobiles, Reges haud pauci rationis monasticae, regiminis foedalis, totiusque medii aevi beatitu-

dinem, quam vocabant, ubivis sensim restituere conabantur. At haec omnia ita erant antiquata saeculique ingenio tam contraria, ut maxime post a. 1830 ausis exciderent illi. Minus hoc accidit in Italia, Hispania ac Portugallia: in quibus regionibus vulgo securius vivit Clerus parum excultus: magis vero in Germania, ubi multa prodierunt studia nova. Institutio hîc et plebis et Clericorum orta est liberior; condita est a. 1786 ab Archiepiscopo Coloniensi universitas Bonnensis, quae Catholicismi purioris esset schola, et inprimis a. 1818 est constitutum, ne quis Ecclesiae R. C. sit Presbyter, nisi per triennium in universitate aliqua rite institutus. Biblia vernacula inter Laicos sparsa sunt multa; cantus in Sacris vernaculus hîc illic auditur; missam vernacule celebrare incipiunt nonnulli; plures coelibatum Clericorum et auricularem Laicorum confessionem abrogare variis modis conantur; Ecclesiae vitia libere explicant haud pauci, inprimis hoc sentientes, non amplius hominibus peccatorum conscientiam esse assopiendam, sed homines peccatis esse purgandos, multique ea vitia sanare cupiunt Ecclesiâ Catholicâ Germanicâ instituendâ, quae sit Romano iugo ita libera, ut Papam vel parum vel nihil curet. Quibus studiis quum se opponeret Archiepiscopus Coloniensis, hic a. 1837 Regis Borussici iussu loco suo motus est indeque, renitente ac protestante Papâ, remotus mansit. Vel sic tamen etiam in Germania sensim plura denuo audere incepit Societas Iesu et ab eâ animata hierarchia Romano-Catholica, ita ut a. 1844 tunicam Christi Trevirensem venerandam exponerent, ita facientes periculum, quid Ger-

mani ferre iam vellent. Quod multis quidem hominum millibus mirifice placuit, multis vero etiam vehementer displicuit, eamque excitavit Ioh. Rongii, Presbyteri Catholici indignationem, ut a. 1845 Ecclesiam Germanico-Catholicam, multis plaudentibus, condere conaretur.

Quod autem talia in hac Ecclesia iam vigeant studia atque in ea prodierint multi viri eximii, de rebus Christianis optime meriti, v. c. Ioh. Mich. Sailer, asceticus scriptor † 1832, Georg. Hermes, dogmaticus philosophicus † 1831, Ign. Henr. von Wessenberg, Episcopatûs Constantiensis a. 1802—1827 rector, id inprimis etiam debetur Theologiae inter Protestantes in Germania immutationi, primum noxiae, deinde salutiferae, de qua mox videbimus.

Caeterum Ecclesiae et Reipublicae seiunctio maior minorve, ubivis fere recepta, effecit, ut Romano-Catholici, qui in regionibus Protestantium vivebant, iuribus civilibus haud paucis destituti, his iam frui inciperent; unde praesertim inde ab a. 1829 in regnis Britannicis magna exstitit sortis ipsorum emendatio.

§ 152.

Ecclesiae Euangelicae conditio externa multum immutata.

Eadem illa Ecclesiae et Reipublicae separatio, quae Romano-Catholicis insigniter profuit, etiam Euangelicis admodum exstitit salutaris. Horum enim qui

sunt Principibus Romano-Catholicis subditi, inde a. Iosephi II tempore longe minus vexantur et opprimuntur; qua dolorum relaxatione fruuntur nunc quoque Waldenses, ab a. 1848, et Protestantes Francici, ab a. 1830 longe magis liberi; unde hi multa quoque ad se vident transire Romano-Catholicorum millia. Porro in multis regionibus, ubi Ecclesia Lutherana vel Reformata fuerat regnans, sed ob id ipsum regimini Reipublicae valde obnoxia, nunc illo privilegio et hac servitute sensim magis est liberata, nullumque fere amplius habet ius nullumque iugum, nisi cum reliquis Protestantibus commune. Haec rerum conditio in Nederlandia esse incepit inde ab a. 1795, constituta est a. 1815, in Germaniae parte magna demum post a. 1830. America septentrionalis autem post libertatem publicam sibi vindicatam exhibuit spectaculum, hucusque singulare, Reipublicae ab Ecclesia prorsus fere separatae; unde sua utrique oriuntur et commoda et damna.

Itidem partim isti Ecclesiae et Reipublicae separationi, partim Theologiae totius immutationi debetur duplex effectus, satis diversus, quod et sectae multae minores floreant et familiae haud paucae sese magis coniungant. Sic v. c. *Unitariorum* Ecclesia (§ 134) non modo in Transsylvania post Iosephum II secura vivit, sed etiam alibi, maxime in Anglia et America septentrionali, multos nanciscitur asseclas. In Anglia habuit patronum satis eruditum, multorum operum scriptorem Iosephum Priestley † 1804. Item in hac praesertim utraque regione ortae sunt multae familiae novae, quarum reliquis celebrior est, quae dicitur

Nova Ecclesia sive *Nova Hierosolyma*, maxime secuta Imm. Swedenborg, virum doctissimum, phantasiae vero nimis indulgentem † 1772; cuius familiae doctrina simplicitate rationali, vita pietate beneficâ multis, in Germania quoque et Suecia, sese commendat.

At universe, longe quam antea maior, nunc orta est diversarum Ecclesiarum coniunctio. Ita v. c. ineunte saeculo XIX inter se coierunt plures *Teleiobaptistarum* sectae atque in multis Germaniae regionibus, post saecularia Reformationis a. 1817 celebrata, Ecclesia Lutherana et Reformata in unam se coniunxit *Ecclesiam Euangelicam.* Item nunc non modo Protestantes in regionibus Pontificiorum, Pontificii in regionibus Protestantium securius vivunt, sed inter ipsam Ecclesiam Romano-Catholicam et Euangelicam, quae in longe pluribus, quam antea, regionibus gaudent tolerantiâ civili, in multis locis etiam est pax, in nonnullis amor vere Christianus. Exceptio vero admodum tristis adest haec et illa, v. c., quod sexcenti fere Tyroliae incolae, quia Euangelicae Ecclesiae sese addicere vellent, a. 1837 patriam relinquere et in Silesiâ sedes novas quaerere cogerentur, atque a. 1851 in Tuscia et alibi in Italia capitale sit, Biblia legere.

Maior haec Reipublicae et Ecclesiae separatio inprimis etiam debetur rerum civilium et ecclesiasticarum pene omnium inde a Frederici II aetate immutationi, unde et liberior et vero melior exstitit iuventutis in scholis omnibus, maxime in universitatibus, institutio; atque inprimis est inde derivanda

theologiae in Germania forma saepius nova, quae iam est exponenda.

§ 153.

Theologiae inter Protestantes in Germania immutatio. — Neologia.

Neque enim rerum civilium ubique novarum minor fuit vis in interna Ecclesiae Euangelicae conditione immutanda, quam in externa. Quum nempe aut solveretur aut saltem imminueretur universa Ecclesiae cum Republica coniunctio, libri Symbolici, a regimine civili eo usque defensi, externo destituebantur praesidio et firmamento. Igitur horum tutelam et auctoritatem mox parum aestimabant Theologi Protestantes, sentiendi et inquirendi libertatem, quam Iesus et Apostoli postulaverant quaque Lutheri et Zwinglii tempore gavisa erat Ecclesia purior, nunc germanam et plenam subito fere recuperantes. Huius vero rei insolitae abusus in Germania primum haud minor fuit, quam usus, sentiendi ratione, quae *Neologia* dicitur, ortâ. Frederico II enim libertatem sentiendi, disserendi, scribendi, qua ipse sibi utebatur, reliquis etiam omnibus concedente, mox in huius regno scripta prodiere multa liberius leviusque exarata, in quibus inde ab a. 1765 eminet *Bibliotheca Germanica universalis.* Iam antea florere inceperat cum schola exegetica V. Foederis a Joh. Dav. Michaëlis, Orientis res perspiciente † 1791, condita, tum schola grammatico-exegetica N. Foederis, a Ioh.

Aug. Ernestio, a scriptorum Graecorum et Latinorum explicatione ad N. Foederis interpretationem accedente † 1781, fundata, quae utraque multos dogmatices articulos longe simplicius tradidit. Item aderat schola critico-historica et historico-exegetica, condita a Ioh. Sal. Semlero, viro audaci, Pietista (§ 129), virtutem pietatemque longe praeferente orthodoxiae scholasticae, qui magna eruditione in omnes res movendas involabat † 1791; haec autem scholae dogmaticam, S. Scripturam, ipsam religionem multis Christianis reddidit incertas. Accedebant scripta religionem Christianam, uti antea in Anglia et Francia (§ 139), ita nunc in Germania, diserte oppugnantia, quorum agmen ducunt *Fragmenta Wolfenbutteliana*, edita a. 1777 et 1778. His omnibus agentibus causis, mox apud omnes libri Symbolici, una cum dogmatica scholastica orthodoxa, sunt reiecti, apud plerosque S. Scriptura honore et existimatione, quibus floruerat, est privata, a multis religio spreta. Hoc tantum aevo oriri potuit iste Carol. Fred. Bahrdt, primum Orthodoxus, deinde Neologus, porro Deista, tandem religionis irrisor † 1792.

Tandem hanc licentiam auctoritas publica reprimere voluit, verum nihil potuit perficere; nam Edictum religionis, a Frederici II successore a. 1788 editum, quo Neologiae in Borussia frenum iniiceretur, successu caruit; imo effecit etiam, ut libri Symbolici, quibus Theologos subiicere iterum voluerat, abhinc, tanquam hominis Christiani libertati repugnantes, prorsus reiicerentur. Quod libertatis studium

sane minus in Neologis est reprehendendum, quam inepta illa existimatio philosophiae cuiusdam levis, quae sensus communis dicitur, quaeque Neologis plurimis adeo placebat, ut secundum hanc Biblia S. torquere et cruciare omnes haud vererentur, atque nomine potius, quam re, a Deistis, religionem Christianam oppugnantibus, differrent eorum sat multi.

§ 154.

Rationalismus.

Iste autem quum vigeret innovandi furor, exstitit Philosophus summus Imm. Kantius (1724—1804), crisi acri omnes pene philosophiae partes perlustrans. Quem incerta illa et precaria theologiae conditio ita non fugit, ut ei conatus sit novum subiicere fundamentum certum, ab aliis iam prius commendatum et reliquis rebus humanis nunc omnibus (philosophiae, artibus, paedagogiae, reipublicae toti) adhibitum, *rationem*. Libro, a. 1793 edito, quo religionem intra rationis solius fines compellebat, haud pauca immutare tentavit. Euangelio enim substituit legem moralem; religionem habuit nihil nisi virtutis subsidium, virtutis autem admodum honestae et severae; rationem, eamque solam, religionis dixit fontem; eius vero effata nusquam invenit aeque pura ac in N. Foedere; cuius interpretationem commendavit moralem. Philosophus Theologis plerisque tam mirifice placuit, ut qui antea Neologi vocarentur, se iam ipsi dicerent *Rationalistas;* neque iam vetus modo

systema destruerent, sed novum etiam fundamento nunc posito inaedificarent; quod inprimis his tribus continebatur placitis: esse Deum, libertatem moralem, immortalitatem. Postquam deinde, ut certiorem systemati suo inderent formam, Rationalistas a. 1810 evocasset Franc. Volkmar Reinhard, exstiterunt inter ipsos haud pauci, qui Kantium magis minusve secuti, doctrinam suam Christianam e ratione deducerent. Horum antesignani habebantur Paulus, Codicis S. interpres (1761—1851), Röhr, orator (1777—1848), Wegscheider, Dogmaticus (1771—1849), alii; quibus omnibus haec est nota communis, ut Christi personae, quam annunciarunt Christus et Apostoli, substituant Christi de Deo et homine hominisque virtute atque immortalitate doctrinam, sanae rationi prorsus consentaneam.

Haud pauca sunt, quae hi in vulgaribus de Deo et de homine huiusque cum illo coniunctione opinionibus emendarunt, inprimis quia, Kantium secuti, nihil in religionis dogmatibus ferre volebant, quod metaphysica videretur subtilitas ideoque virtuti germanae posse nocere, itemque religionis consilium in morali hominis emendatione positum esse affirmabant: verum horum plerisque prorsus deest religionis, quatenus a virtute differt, notio atque cultura; mos est, indolem patefactionis Christianae historicam negligere ac satis indigne S. Scripturam tractare; communis haec persuasio, S. Codicis doctrinam rationis, nunc multum progressae, ope perfici ac tandem, quippe superfluam, tolli posse; denique superbia haec, quod omnes theologiae ac religionis formas anteriores spernat.

§ 155.

Supranaturalismus.

Inde a Rationalismo orto pugna nata est minus de nonnullis religionis dogmatibus, quam de omnibus eius principiis. Neque enim Neologia et Rationalismus, quippe vel soli rationi vel potius intellectui modo satisfacientes, omnibus placere Theologis potuerunt. Inde ab initio iis sese opposuit *Supranaturalismus*, qui, ex fonte Codicis S. religionis doctrinam derivans, patronos habuit praecipuos Reinhard † 1812, G. C. Storr † 1805, Tittmannum utrumque, patrem et filium, Steudelium † 1837, alios, inprimis scholae Tubingensis antiquioris alumnos. Hi non amplius, uti Orthodoxi vetustiores, e Codice S. et Symbolis Ecclesiasticis, sed e solo Codice S. doctrinam suam derivabant atque cum S. Scripturae interpretes, tum dogmatici erant probabiles. Magis tamen plerique de nonnullis dogmatibus singulis purgandis meruerunt, quam de omni religionis Christianae sublimitate melius intelligenda et purius explicanda.

§ 156.

Speculatio.

Non pauci exstiterunt Thologi, v. c. Tschirner † 1828, qui utrumque sentiendi modum, diversum sed non contrarium, conjungere voluerunt, atque Rationalistae esse cupiebant, quatenus ratione utendum sit

duce veri undique hauriendi, Supranaturalistae, quatenus S. Scriptura singularem contineat Dei patefactionem, e quo fonte quid verum sit, potissimum hauriri debeat.

Neque tamen haec dubia et vacillans opinio vel mentis vel animi satisfecit desideriis. Ut igitur mentis expleretur indigentia, orta est *Speculatio*, quae rationis philosophantis ope Ecclesiae dogmata intelligere non modo, sed etiam construere conabatur. Philosophos fere sequebatur Fichte (1762—1814), Schelling, (nat. 1775), Hegel (1770—1831), quorum principia et placita haud raro Euangelio vel Ecclesiae doctrinae sic substituebat, ut Speculatio illa videretur Theologia Christiana, esset Philosophia, spiritu Christiano imbuta. In Theologis Speculationi huic addictis nomen celebrius nacti sunt Daub, Marheineke, Rothe, Hase.

Laudem sane non parvam merentur sagacitas erudita ac subtilis disputatio, quibus aetatis suae desideriis subvenire conantur Theologi hi eximii; nec negligendum, multa dogmata altius et verius ab iis esse inquisita et explicita. At hic committitur ab iis error gravis, quod Euangelium, rem historicam, non modo philosophice explicent, sed philosophiae suae etiam subjiciant, patefactionem Dei, in Iesu Christo nobis datam, parum distinguentes ab institutione Iesu et Apostolorum, Novi Foederis verbis contenta.

Ad quos facile errores gravissimos progrediatur haec Speculatio, exempla docent Straussii, Vatkii, B. Baueri, quin et totius scholae recentioris Tubingensis, a Bauro conditae, quae criticâ Speculationis

altioris historiam Veteris et Novi Foederis ipsam pene omnem tollit et Iesum Christum non habet centrum ac finem totius rei Christianae, sed modo initium fortuitum, iam a Paulo Apostolo superatum. Imo etiam non raro in Pantheismum aberrat haec Speculatio.

§ 157.

Religiosismus.

Neque igitur in Speculatione acquiescere possunt Theologi plurimi, qui cum ut menti, tum ut animo indulgeant, alia quaerunt. Animi inprimis desiderium, inter lites doctas diu neglectum, Germaniae a Napoleone (1806—1813) oppressae miseriâ magis etiam excitatum, deinde alte, ut ipsi quoque satisfieret, clamavit.

Igitur novus exortus est de religione sentiendi modus, neque adeo rationi, neque potissimum Codici S. innixus, sed hactenus prorsus a Neologia, Rationalismo, Supranaturalismo, Speculatione non modo diversus, sed etiam discrepans, quod nollet repetere errorem istis Theologiae formis omnibus communem, quo religionem Christianam potius contemplabantur tanquam doctrinam intellectui propositam, minus tanquam vitae novae principium, quod, e Divino profluens auctore, Divinum in genere humano volebat informare spiritum. Hanc religionis Christianae indolem perspiciebat novus de ea sentiendi modus, quippe magis ex intimo hominis Christiani sensu animique eius indigentia profectus, atque huic *religione* com-

mendandâ satisfacere studens, unde haud inepte *Religiosismus* dici potest. Qui sentiendi modus prius excultus est a Poëtis, quam a Theologis, et inter Theologos primum a Theologis poëticis, Lavatero, Herdero, aliis; quodque iam doctissimos nancisceretur in Theologis interpretes, inprimis etiam debebat philosophiae, animi iura iam agnoscenti. Quo enim tempore Fred. Henr. Iacobius, philosophus et poëta simul, contra Kantium pugnans, ideas religiosas in intimo hominis animo tam certo sitas esse defendebat, ut aut demonstrari aut negari nequeant; inter Theologos exstitit Fred. Schleiermacher (1768—1834), acumine dialectico non minus quam animi pietate insignis, qui secundum aevi mutati indigentiam non singula quaedam religionis placita, sed ipsum dogmaticae fundamentum emendare et corroborare est aggressus, atque scientiam et fidem, sive eruditionem et religionem, inter se conciliare tentavit. Primum aevo, sibi sufficienti et sese ob magnos scilicet in theologia progressus admiranti, editis a. 1799 orationibus de religione, fortiter se opposuit, nullam ostendens esse sine Deo et communione Christiana vitam vitalem. Deinde dogmatices Christianae decreta ita explicuit, ut optime sensûs religiosi desiderio inservire poterant. Schleiermachero multum similis erat ipsius amicus de Wette (1780—1850); ita vero etiam dissimilis, ut sensum pulcri cum sensu religionis commisceret, et, dialectices subtilis loco, uberam afferret eruditionem historicam, qua religionis naturam et formas diversas interpretaretur.

Magna sane horum aliorumque virorum sunt merita, quod, dum reliqui de rebus Christianis magis disputarent, quatenus factae et mente intelligendae sunt, ipsi sensûs penetralia exploraverint ac suam vindicaverint religioni ex animo originem et primariam in animo sedem; quod ita explicuerint Euangelii vim et naturam, ut ostenderent, hoc intus regenerare hominem et hunc reddere sponte sua voluntati Divinae obsequentem; quod communionis ecclesiasticae pretium et necessitatem exposuerint, huiusque communionis vinculum et centrum commendaverint Christum ipsum, amore summo amplectendum, verbo, quod *religionem* proprie dictam senserint, explicuerint, commendaverint. Verum non sine magno multorum periculo historicum, quod in Codico S. reperitur, religionis Christianae fundamentum ita neglexerunt, ut ei solius animi religiosi (huius vero animi a Christo et Ecclesiâ Christianâ excitati et expliciti) indigentiam substituere, non immerito multis viderentur.

§ 158.

Euangelicismus.

Omnes hae Theologiae formae, Neologia, Rationalismus, Supranaturalismus, Speculatio, Religiosismus, quum ex temporis singularis conditione profluxerint, tempore progrediente subsistere non possunt; sed, tanquam transitus ad formas novas, aut nunc iam interierunt aut saltem sensim magis disparent. Nova autem haec, quae ex prioribus orta est, forma, dici

possit *Euangelicismus*, quum ad Euangelium semper provocet atque conetur esse studium sese ad verum Iesu Christi spiritum, ex Euangelio cognitum, conformandi. Est vero huius studii ratio duplex; altera liberior, altera magis anxia; qua duplici forma inprimis sedem habet in Universitate Berolinensi a. 1810 condita, ut novo imbueret gentem Borussicam spiritu. Qui illam probant, e singulis formis anterioribus proficientes, novum sibi instruere cupiunt Theologiae Christianae corpus, in quo sua sint integra rationi, sensui, Euangelio iura. Sic v. g. haec tria aeque tuentur iisque simul egregie utuntur plures operis periodici inde ab a. 1828 editi *Studiorum Theologicorum* scriptores, inprimis Ullmann, Lücke, Nitsch, Iul. Müller, adhuc vegetes, et qui a. 1850 Ecclesiae est ereptus Neander. Quae melior sentiendi ratio inprimis post Reformatorum opera et studia, inde a saecularibus Reformationis a. 1817 celebratis accuratius cognita, vim viresque cepit haud exiguas atque Ecclesiae Euangelicae, tum ortae (§ 152), semper tuetur laudes.

At eorundem horum saecularium opportunitate luculenter sese prodidit altera ista, magis anxia, de religione sentiendi methodus. Ea enim thesibus XCV contra rationis humanae in religione abusum usumque editis celebravit Claus Harms, Pastor Kielanus, qui Lutheri gravem sermonem pietatemque magis, quam mentis animique libertatem sequebatur. Multos hic excitavit adversarios, sed neque haud paucos similiter sentientes, qui nonnulla quidem post Ernestium et Semlerum immutata probant, sed li-

bentius tamen, Lutheri et Calvini spiritu exstincto, in Lutheri et Calvini verba iurare volunt. Dicuntur a se ipsi *Euangelici*, ab adversariis *Neo-Euangelici*, ac suae sentiendi rationis interpretem habent primarium *Euangelicum Ecclesiae nuncium* ab a. 1827 Berolini editum. Laudandus horum hominum fervor insignis, quo et nonnulla vetusta placita, ab aliis neglecta, verissime propugnant, et pietati inter Christianos excitandae Euangelioque inter Gentiles annunciando operam impendunt indefessam. Improbandum nihil magis quam ipsorum odium in omnes secus sentientes, quos ita damnant, infallibiles scilicet iudices, ut infidelium nomen iis inurere soleant eosque docendi libertate, qua ipsi fruuntur, per magistratum civilem privare interdum conati sint.

§ 159.

Theologiae inter Protestantes in Germania commutatae vis in diversis Ecclesiae Christianae familiis.

Omnis haec Theologiae inter Protestantes Germanicos commutatio, ad res civiles novas (§ 145—147) accedens, insignem in omni Ecclesia habuit vim, quin si observas quid iam effecerit atque inde coniicis, quid in posterum etiam effectura sit, haec vis formâ quidem exteriore apparebit inferior, sed efficaciâ internâ forte vix minor, quam quae saeculo XVI facta est Ecclesiae emendatio.

In ipsa Germania multum inde profecerunt Romano-Catholici; nam inter hos quoque Neologia, Ra-

tionalismus, Supranaturalismus, Speculatio, Religiosismus, Euangelicismus suos invenerunt asseclas, et vero etiam sunt, qui ex omnibus hisce optima quaevis sibi retinere cupiant. Ex his praeter Sailer, Hermes ac Wessenberg (§ 151) iam laudatos, citasse sufficiat Iahn, Hug, Hirscher, Möhler. Extra Germaniae fines in solis fere Protestantibus hucusque vim suam exercuit; inprimis quidem in Helvetis, qui in plerisque rebus literariis a Germanis pendere solent, item in Danis et Scandinavis reliquis, atque in Nederlandis nostris, qui omnes multa legunt Germanice scripta; nec non in aliquot Franciae, Britanniae, Americae septentrionalis incolis. Inter has vero gentes omnes, quae longe minus, quam ipsi Germani, sunt philosophae, Rationalismum, Speculationem et Religiosismum pauci modo curant; sed multi aut Neologiae favent, aut Supranaturalismo, aut, idque magis etiam, Neo-Euangelicorum studiis.

Quod specialiter ad Nederlandos attinet: quum res a. 1795 novae ibi Ecclesiam Reformatam Reipublicae liberassent tutelâ, brevi magis magisque rediit germanus huius gentis in theologia tractanda genius, qualem se in Wesselo, Erasmo, Hugone Grotio ostenderat. Ergo hic inprimis exegetica et practica persecutus est illorum virorum et Cocceii, Vitringae, Schultensiorum studia, Remonstrantium (§ 132) etiam et Germanorum usus luce, nec tamen ab his pendens. Hinc orta est schola Muntinghii † 1824 historica, Voorstii † 1833 dogmatica, Heringae † 1840 exegetico-dogmatica, Palmii † 1839 biblica, Hengelii

exegetica; itemque Heusdii † 1839 schola philosopho-historica, multis etiam inter Theologos gaudens discipulis. E Germanorum vero theologiae formis Nederlandis maxime placet Euangelicismus, cum magis liber, tum magis anxius, quam posteriorem fovet schola Bilderdykii, poëtae † 1831.

Ex altercationibus theologicis ubivis schismata etiam quaedam orta sunt; v. c. in Nederlandia, ubi Ecclesia Lutherana a. 1791 in duas sese divisit partes, quarum altera libros Symbolicos libere, altera, quae se *Ecclesiam Lutheranam instauratam* dicit, eosdem serviliter sequitur, et ubi etiam a 1839 ex Ecclesia Reformata exiit sociorum pars, quae nomine *Christianorum Separatorum* novam constituit Ecclesiam. Simile quid accidit in Helvetia, ubi postquam satis diu illiberaliter oppressi et vexati essent Neo-Euangelici, tandem Genevae a. 1831 exstitit ipsorum *Societas Euangelica,* quae a. 1832 condidit *Scholam Theologicam Euangelicam.* Haec novam fidem sese operari velle profitebatur, non vero novam Ecclesiam; attamen cum Ecclesia Genevensi ne Reformationis quidem saecularium, a. 1835 celebratorum, opportunitate in gratiam redire voluit. Item a. 1838 propter antiquam Lutheri doctrinam in ipsa Ecclesia Lutherana desertam ex huius Ecclesiae communione recesserunt Saxonum aliquot centeni, ut in America denuo antiquam fundarent Lutheranam Ecclesiam; quibus dux fuit Martinus Stephanus, Dresdensis pastor. Denique in Borussia quoque a. 1840 admissa est *Antiqua Lutherana Ecclesia,* Unioni Euangelicae a. 1817 adversaria, sed inter socios parum concors.

§ 160.

Rerum practicarum studium, in Britannia ortum.

Tanta vero illa theoriae Christianae commutatio quum fieri coepisset in Germania, haud minor, verum longe diversa, quippe minus theoriae quam praxeos innovatio et commutatio facta est in Britannia. Fuit haec duplex, altera Ecclesiae regimen et ritus spectans, altera Ecclesiae propagationem et emendationem.

Prior maxime sese patefecit inde ab a. 1833, auctoribus Newmann et Pusey, doctoribus Oxoniensibus, qui elementum Catholicum, in Anglicana Ecclesia obvium, sic explicuerunt, ut alii eius socii ad Ecclesiam Romano-Catholicam redirent, alii Anglicanam Romanae longe similiorem reddere tentarent. — Posterior commutatio et innovatio cum prius sese ostendit, tum longe maiorem iam habuit vim; conspicitur studio religionis Christianae tam inter Gentiles, quam inter ipsos Christianos magis propagandae et commendandae. Cui studio ut diligenter et apte satisfieret, ortae sunt, maxime auctoribus Methodistis (§ 134), qui plebis neglectae curam gerere sibi proposuerant, quam plurimae societates privatae, quae aut Euangelii praecones ad Gentiles mitterent, praesertim a. 1795 et deinceps, aut Biblia quaquaversum dispergerent inde ab a. 1804, aut scholas ubivis erigerent, caet. Mox in America septentri-

onali, Nederlandia, Germania, Francia, alibi similes coierunt societates, quae, ut aptos Euangelii praecones ad Gentiles mittant, seminaria quoque, in quibus rite instituantur, condiderunt in Britannia et America plura, tum et Halae, Roterodami, Basileae, Berolini, Barmae, Parisiis. Nec modo hae societates Gentilibus Euangelii lucem afferunt, sed plebem quoque regionum Christianarum, diu nimis neglectam, illustrant et emendant; aliae Ecclesiam Euangelicam contra Iesuitas tueri et inter Romano-Catholicos propagare conantur. Huiusce modi actionis centrum quoddam est insula Malta, inde ab a. 1800 Britannis subiecta. Porro ad harum exemplum aliae etiam societates beneficae, incultorum, pauperum, coecorum, surdo-mutorum curam gerentes, ubique exstiterunt et exsistunt; quae monasteriorum et fraternitatum medii aevi iam tenent locum. Item hominum etiam infimi ordinis iura sunt agnita ac sors est emendata, servos mercari iam ab a. 1807 vetitum, servitus in coloniis Britannorum Americanis a. 1834 abolita, caet.

Diu vero, quod dolendum, plerique illi, qui doctrinam in Germania emendatam esse agnoscebant, negabant vitam novam in Britannia esse ortam meliorem; dum isti, qui hanc ortam esse confitebantur et huic promovendae operam impendebant, omnem illam doctrinae in Germania commutationem fere habebant defectum ab ipsa religione Christiana. Melius vero de hac re sentire inceperunt Germani inde ab 1848, quum religionis ac virtutis in sua regione de-

fectum horrendum, rerum novarum opportunitate conspicuum, animadverterent. Mense Septembris 1848 Witebergam congressi agnoverunt viri docti ac pii, alio etiam opus habere Germaniam remedio quam theologiâ doctâ. Agnoscentibus asyli Hamburgenis conditor, I. H. Wichern, ostendit remedium Missionem internam, quam abhinc avide curandam sibi sumserunt viri egregii multi.

Universe in mediis litibus dogmaticis nihil magis ad Christianos conjungendos facit quam hoc studium practicum, quod societatibus beneficis diversissimarum Ecclesiae familiarum asseclas complectitur, ac, uti speramus, amore uno magis magisque imbuet. Igitur a. 1846 *Foedus Euangelicum* in Britannia est conditum, quod Christianos Euangelicos conjungat; nec tamen propositum assequetur, quamdiu in dogmatibus ecclesiasticis societatis quaeret vinculum.

§ 161.

Studii huius vis in Ecclesia Graeco-Orientali.

Inter ipsos Christianos, quos societates illae illustrare et emendare cupiunt, haud infimum locum occupant Graeco-Orientales. Horum conditio est explorata atque defectus iam patent; nec pauci ad hos missi sunt Euangelii purioris praecones, Bibliorum in multas linguas versorum exemplis instructi. Fructus vero huiusce operae nondum ubivis apparent; hîc

illic tamen cernuntur, veluti in Russia, ubi simili plebis illustrandae negotio iam diu se dederat imperium civile. Maxime hoc promovebat Alexander Imperator; at impedivit rursus Nicolaus, qui institutionem scholasticam circumscripsit ac iam a. 1826 societatem Bibliis spargendis destinatam pene sustulit. — Neque nihil efficitur in Armenia, quorsum via erat munita per doctum Mechitaristarum, Monachorum Armenicorum, in insula Venetorum S. Lazari conventum, a. 1717 conditum et adhuc florentem. — Lucem cum libertate maiorem vident etiam ipsi Graeci. Hi enim, postquam arma feliciter contra Turcas suscepissent, mox multis modis a Christianis Europaeis sunt adiuti, qui etiam plebis illustrandae et Ecclesiae emendandae causa puerulos nonnullos Graecorum in Helvetia et Germania instituerunt et Euangelii praecones in Graeciam miserunt. Magis vero his prodest, quod multi ad ipsos migraverint Germani et Rege gaudeant Germanico, cuius nomine (Aug. 1833) per Episcoporum decretum sancitum est, Ecclesiam Graecam orthodoxam non amplius Patriarchae Constantinopolitano fore subditam, siquidem nullum agnoscat caput nisi Iesum Christum, administrandam autem esse a Rege per Synodum Episcoporum.

In reliquis Christianorum Orientalium Ecclesiis, ubi Europaei novam vitam non suscitarunt, eadem esse pergit lethargia tacita.

§ 162.

Eiusdem vis in Ecclesiae propagatione in Asia.

Ecclesiae propagandae fervor, qui, quamvis superiore Periodo solis pene Romano-Catholicis et Fratribus Euangelicis fuisset proprius, tamen tunc iam tot tantaque perfecerat, nunc, plerisque etiam Protestantium familiis communis, longe maiora et plura peregit, maxime post pacem civilem a. 1815 ubivis initam.

In Asia quidem nusquam maiore gaudet successu, quam inter Indos. Vitam terit Indorum gens ritibus inanibus vel et noxiis observandis, et pauca modo sunt in obsoleta eius religione virtutis elementa. Item valde obstat Euangelii successui castarum discrimen, fraternae omnium hominum communioni Christianae prorsus adversum. At non parum quoque eminet haec gens fide, temperantia, generositate; item sapientiam vetustam, cui laus et honor sunt magni, diligenter adhuc inquirit. Neque hanc tam stabilem et absolutam habet, quin nova nonnulla aliunde petita ei addere velit. Igitur uti olim a Zoroastre, Christianis vetustis, Mohammedanis, aliis quaedam placita iam est mutuata, ita nunc quoque ex N. Foedere, cuius doctrinam moralem admiratur, haud pauca petere incipit. Ergo non modo scholis Christianis hîc illic conditis valde favet, verum etiam nonnullas sectas religiosas et philosophas, quae, Neoplatonicorum vetustorum adinstar, doctrinam re-

ligionis gentis suae antiquam doctrinae Christianae ope purgant et instaurant, inter se oriri videt, atque praeterea prudentibus Euangelii praeconibus non multa impedimenta obiicit. Hisce praeconibus annumerandus vir Apostolicus Christ. Fred. Schwarz, qui in Danorum colonia (§ 138) Tranquebar et regione adiacente a. 1750—1798 magno successu Iesum Christum annunciavit.

Huius tempore et deinceps omnis fere India Britannorum imperio est subiecta. Hoc, Euangelii propagationem potius impedire, quam adiuvare conans, nihil Ecclesiae ministris suppeditavit, nisi, quum legibus aequis provincias pacatas regat, maiorem ad Indos accedendi opportunitatem et securitatem. Igitur Euangelium, commendatione externa destitutum, vi insita Divina ibi animos sibi conciliat. Sunt autem multi in ea regione plurium societatum legati, praesertim Ecclesiae Anglicanae, quae a. 1815 Calcuttae fundavit episcopatum, cui post Middletonem per breve tempus, sed magno successu praefuit vir prudens et pius Reginald Heber † 1826.

Nederlandi in Asiae insulis Euangelium propagare pergunt, atque emiserunt praeter alios Car. Gützlaff, qui inde ab a. 1831 magno animi studio Sinensibus Iesum Christum innotescere fecit † 1851. Item a. 1842 Hierosolymis fundata est a Britannis et Borussis sedes Episcopi Euangelici, quae quid effectura sit, nondum perspicere valemus.

§ 163.

In Africa, America, Australia et inter Mohammedanos ac Iudaeos.

In Africae regiones antea incognitas iam penetrant nonnulli Euangelii praecones, ex colonia Promontorii Bonae Spei profecti, ubique iam multas habent sedes fixas. Item in litoribus occidentalibus Sierrae Leonis fundatae sunt coloniae Nigrorum, humana servitute liberatorum Christoque addicendorum.

Quum longe maior Americae incolarum pars origine sit Europaeâ ideoque Christianâ, ibi Ecclesia minus condita est per missûs, quam per colonias. Missi tamen sunt Euangelii praecones cum inter indigenas, tum inter Nigros, servos ex Africa advenas; nec sine magno inter utrosque successu. Coloniae vero illae in America septentrionali etsi Rempublicam ab Ecclesia prorsus conantur separare (§ 152), virtute Christiana omnem animare student vitam.

In Australiae terra continente, Nova Hollandia, item maxime per colonos, ex Britannia ob crimina in exsilium missos, Euangelium innotescit. At in insulis maris Pacifici sive Polynesia inde ab a. 1797 multum Ecclesiae propagandae dederunt operam missuum societates plures. Incolae ibi sunt naturâ molles, idololatriâ vero et moribus feroces; item leves, venusti, hilares, neque Graecis antiquissimis prorsus dissimiles. Hi satis diu Euangelii nuncios parum curabant; tandem maxime post a. 1815 Christum

agnoverunt et inceperunt amare, magnamque ostendunt vitae in melius immutationem.

Dolendum vero, Iesuitas non adeo studere Gentilibus annunciare Euangelium, quam Ecclesias inter Gentiles ab Euangelicis fundatas evertere. Cuius rei et alia exempla sunt flebilia et occupatio insulae Tahiti a. 1842 a Francis facta, ut Iesuîtae ibi destruerent, quod exstruxerant Euangelii praecones Anglici.

Universe longe minus, quam inter Gentiles, profecerunt Christianorum singulorum labores inter Mohammedanos et Iudaeos, qui, sua religione superbi, Euangelii praecones contemnunt et despicere solent. Quod vero singulis Christianis non succedit, id sensim magis certiusque perficitur cultûs Christianorum universi efficaciâ. Sic inter Mohammedanos Persicos et Arabicos iam exstitit secta liberior, et inter Iudaeos Germanicos tantus post Mosem Mendelidem, philosophum egregium † 1786, cernitur progressus, ut nonnulli Talmudem reiiciant, et V. Foederis spiritum assequantur, atque parum absint, quin Iesum tanquam Prophetam insignem venerentur.

§ 164.

Ecclesiae oppugnatio et defensio.

E prorsus immutata rerum Christianarum pene omnium conditione nova nascebatur nunc religionis huius et oppugnatio et defensio. Neque enim soli aut

Deistae, v. c. Voltarius et Rossavius, qui diu adhuc floruerunt († 1778, § 139), aut viri elegantes eam sunt aggressi, sed etiam ex ipsis Theologis inprimis Neologi haud pauci, qui Iesu et Apostolorum personam et institutionem multis vitiis gravissimis laborare conabantur ostendere; itemque Theologi speculativi permulti, Pantheismi patroni, veluti Lud. Feuerbach inde ab a. 1839, non immerito inter hostes potius, quam inter amicos nominis Christiani sunt referendi.

Eiusdem defensionem alii tentarunt viâ vetustâ historicâ potissimum incedentes, v. c. Societas Hagana pro religione Christiana defendenda a. 1785 instituta; alii vero hanc viam eatenus deseruerunt, quatenus argumentum e miraculis et vaticiniis petitum fere omittunt, atque personam Iesu Christi sapientissimam et sanctissimam esse demonstrant, quod fecerunt v. c. Reinhard et Ullmann. Alii viam istam historicam prorsus relinquentes, sive, quod facit inprimis de Chateaubriand, religionem Christianam, S. Scripturam, cultum Catholicum pulcri hominum elegantiorum sensui commendant; sive, quod egit prae reliquis Schleiermacher, animi humani sensui et indigentiae religionem aliquam necessariam esse, nullamque melius, quam Christianam hanc respondere, ostendunt.

§ 165.

Sacrorum ritus.

In Italia et Hispania, ubi omnia, quae ad Ecclesiam spectant, stabilia esse amant, atque in Francia, ubi nemo pene paulo cultior Ecclesiam curat, iidem manserunt ritus sacri plerique. At sensus pulcri, qui ubivis fere viget, inter Catholicos Germanicos et inter Euangelicos plerosque in Sacris etiam vim beneficam exercuit. Catholici et Euangelici inde ab a. 1824 et novo ardore ab a. 1842 superbam cathedralem Coloniensen reficere et perficere inceperunt. Apud utrosque nunc liturgiae inveniuntur aptiores, carmina elegantiora canuntur, musica auditur sublimior et purior; apud Euangelicos eloquentia sacra in melius est immutata et festi dies plures iique solemnius aguntur. Universe artes omnes religione longe magis animantur quam antea.

Accedit, quod sensûs religiosi iura longe magis agnoscantur, unde a Sacris celebrandis arcetur et rituum inanium pompa et polemica acris et inquisitio erudita et quicquid ad hominem Christianum informandum parum vel nihil efficit. Adeo ut hucusque nullum forte fuerit aerae Christianae tempus, quo, ritibus aptius instituendis, et hominum cultiorum et Christianae plebis indigentiae melius sit consultum, quam inter illos Catholicos et plerosque Protestantes iam fiat.

§ 166.

Christianorum animus et vita.

Immensa illa rerum civilium et ecclesiasticarum commutatio saepius repetita tam causam habet in animo hominum valde commoto, quam effectum animum hunc ulterius commovendum. Primum ubivis in Europa, Francorum maxime vi, inter homines cultiores regnabat incredulitas et religionis irrisio; tum inter Protestantes indifferentismus et Bibliorum neglectus, inter Pontificios vel Deismus vel superstitio vel haec cum illo coniuncta. Item remansit ferocitas magna, quae quanta adhuc sit populo Francico, docuerunt res saepius (§ 146, 147) ibi novae, modo saepe cruento stabilitae. Quin et in Francia et Germania deesse morale et religiosum societatis penes multos fundamentum, ibique regnare Socialismum et Communismum, e Pantheismo profluentes et ad Atheismum ducentes, rerum novarum a. 1848 opportunitate apparuit. At vel sic tamen maior rebus plerisque affulsit lux; fides praestigiis et maleficis habita fere evanuit; reipublicae regimen valde est emendatum; iura omnium hominum sunt agnita et sancita; conditio hominum egenorum aliorumque antea magis neglectorum curae cordique est habita; eruditionem, ritus sacros, vitam monasticam societati humanae proficuam reddere conati sunt bene multi.

Deinde vero, maxime post pacem universalem a. 1815 initam et Reformationis saecularia a. 1817 celebrata, melior ubivis sentiendi agendique ratio orta

est. Iam novus exstitit inter homines animus et vigor, novumque religionis Christianae studium. Unde nonnulli quidem, cum inter Romano-Catholicos, tum inter Euangelicos, seducebantur, ut sordes quoque antiquas repetere vellent (qui si doctrinam magis respicis, dicuntur fere Methodistae, sin potius vitam Pietistae, sin animum Mystici); plures vero excitabantur, ut, quicquid in proavorum fide vitaque vere Christianum fuisset, et instaurarent et augerent. Hi res Christianas omnes et universam Ecclesiam in eodem semper statu nusquam stabilire volunt, sed semper ad perfectionem in dies maiorem perducere; scholas longe quam antea meliores instituunt; religionem Christianam quaquaversum propagant; Biblia interpretantur, commendant, dispergunt; artes, maxime poësin, musicam, picturam, Deo consecrant, easque sensui morali et religioso excolendo adhibent. His ipsa Ecclesiae idea innotuit sublimior, quippe qua iam talem intelligunt communionem, in qua Deus homines per homines suo spiritu imbuit. Igitur inter se coniuncti, alter alteri omni opera meliorem informare animum conantur; unde hi Laicorum et Clericorum discrimen prorsus tollunt seque sentiunt omnes Sacerdotes Divinos, Dei ipsius et Iesu Christi administros. Hinc etiam et in Europa et in orbe omni orta est coniunctio et conspiratio populorum omnium, qualis nunquam fuerat antea, vere humana, ita ut inter se bellare respuant, nec modo merces multis modis commutent, sed etiam sensus ideasque, seque sentire incipiant omnes eiusdem Patris coelestis liberos, reipublicae ac linguae discrimine haud

separandos. Illustre huius animi documentum aderat in omnium mundi mercium expositione, a. 1851 Londini habita, ubi quoque suam ostendit religio Christiana vim insignem.

Verbo, magna Christianorum pars Ecclesiae dogmata iam minus curat, quo gravius sibi aliisque inculcet fidem in Iesum Christum habendam animumque Deo tradendum vitamque vero, bono, sancto impendendam. Cuius animi vitaeque exempla, Apostolico aevo non indigna, sunt v. c. Oberlin, pastor Alsaticus † 1826, ac Wilberforce, servorum liberator † 1833.

§ 167.

Periodi totius conspectus.

Quae Periodo superiore coeperat esse religionis libertas, sed inter Euangelicos ipsos mox iterum circumscribebatur, haec nunc denuo caput magis effert, ita ut ipsa Romana Ecclesia eius vim sentiat. Rebus enim civilibus post Fredericum II prorsus immutatis, Ecclesia, quae adhuc *Romano-Catholica* dicitur ad formam vetustiorem *Catholicam*, praesertim in Germania, redire incipit. Corruit pedetentim aliquatenus Papae Romani totiusque Cleri usurpatio; Laicorum libertas Christiana restitui incipit; Ecclesia haec omnis et tota in diversas Ecclesias nationales dilabi minatur.

Euangelicorum familiae pleraeque, inde a Frederici II tempore, ipsoque etiam inprimis auctore, li-

brorum symbolicorum et orthodoxiae ecclesiasticae tutela solvuntur atque ad Reformatorum et Apostolorum libertatem redeunt. Philosophiae scholasticae et Dogmatices locum in Germania occupant Historia et Codex Sacer. Ad hunc iam omnia referuntur; hic, Ernestio inprimis et Semlero exemplum exhibentibus, grammatice et historice explicatur. Unde primum oritur *Neologia*, quae aedificium vetus ineptum destruit, deinde, Kantii maxime auctoritate, *Rationalismus*, qui systema exstruit novum. Utraque Theologiae tractandae methodus multum damni primum, commodi postea omni Ecclesiae affert. Initio enim longe minoris nunc habetur, quin et spernitur quae in Codice S. exhibetur patefactio Divina. Sed huius causam vindicat *Supranaturalismus* et magis etiam *Religiosismus*. Parum in Ecclesia valet *Speculatio*, sed multum *Euangelicismus*, qui magis magisque hoc suum nomen gerere merebitur. Ex omnibus his formis, itemque ex rerum practicarum studio, in Britannia orto, multum proficiunt Christiani moderati et prudentes. Apud plerosque mox orthodoxia non amplius cum pietate commutatur. Libertas maior varias Protestantium familias uno omnes animo coniungit; formâ etiam unâ post annum 1817 haud parvam Lutheranorum et Reformatorum partem. Item religionis vis ex schola nunc in rempublicam, ex mentis contemplatione in vitam actionemque, ex theologia in artes, literas, doctrinas omnes sese magis extendit; quamvis, qua in Europa septentrionali gloriantur plebis illustratione, haec penes multos hucusque solum fere intellectum illuminet, ani-

mum vix tangat, nedum voluntatem omnem flectat. Recte vero percipitur universale religionis Christianae consilium; unde societates multae oriuntur privatae, quae hanc cum ad plebis Christianae, tum ad gentium omnium notitiam perducant. Per has societates Orientalis etiam Ecclesiae vita vigorque, qui post Mohammedem ad haec usque tempora pene nullus fuit, iam paululum denuo excitari incipit. Verbo, nunquam magis, quam hac Periodo, sese ostendit religio Christiana fermentum, quod omnes penetrare debet populos hominesque et omnes in his facultates omnèmque horum vitam.

---

§ 168.

HARUM INSTITUTIONUM CONCLUSIO.

Omnem, quem percurrimus campum, iam uno remetientes obtutu, cernimus, revera esse Divinam generis humani institutionem, qua hoc ad perfectionem sensim maiorem assequendam excolatur; neminem vero in hac re agenda Dei esse administrum, cum Iesu Christo aequiparandum. Ut hunc tandem capere posset, diu praeparatum est genus humanum; hic novam generis humani aetatem adduxit. Quisquis enim hunc vere accipit, ex homine minorenni, sensuali, terreno fit maiorennis, spiritualis, coelestis. Hunc iam haud exigua hominum pars Servatorem agnovit, hunc in dies plures agnoscunt, hic beneficia sua etiam extra Ecclesiae suae fines dispergit.

Maximâ autem hic curâ Ecclesiam suam semper est prosecutus. Circumfertur sane huius religio, thesaurus coelestis, in vasis terrenis. At quamvis, hominum culpâ, nulla usquam Ecclesiae forma fuerit perfecta, in nulla tamen forma spiritum coelestem prorsus desiderari, effecit potentissimus ille Dei Filius. Igitur non frustra hunc sibi proposuisse, omnium hominum saluti consulere, manifesto apparet. Nam quum gens humana ante Iesum Christum unam quaereret salutem terrenam, nunc coelestem etiam curat; atque hanc quum ante Ecclesiae emendationem saeculo XVI invenire se modo posse putaret post mortem, nunc eam quaerit coelestem iam in his terris incipientem. Quum porro Ecclesiae Christianae cultus me-

dio aevo potissimum perveniret ad solos nobiles, hunc Reformatores perduxerunt ad cives, aetas nostra communicat cum plebe.

At quod nos iam agnoscimus, agnoscet magis etiam posteritas: nempe multum abesse, ut Christi consilium iam sit perfectum. Vix enim quinta aut sexta pars hominum, in terris viventium, ipsum Dominum agnovit; multique ex his vix nisi labiis. Etenim duplex est Ecclesiae propagatio, semper progediens; altera externa, interna altera; illa habet fines, quamquam nullos, nisi quos ipse terrarum orbis, haec fines habet nullos, vel spatii vel temporis. Quare his, qui vitam religioni sanctissimae annunciandae addixerunt, multum superest agendum, sed quoque spes certissima, se non frustra laboraturos.

Prof. L. G. PAREAU,

INITIA

INSTITUTIONIS CHRISTIANAE MORALIS.

f 4,00.

HERMENEUTICA CODICIS SACRI.

f 4,80.

EEN WOORD

OVER

EVANGELISCHE OPBOUWING

DER



OF BEANTWOORDING DER VRAAG:

Waarvan moeten wij in de Hervormde Kerk uitgaan? van de Christelijke leer, bijzonder die van Gods souvereiniteit? of van de Christelijke prediking, vooral van Gods genade?

Ter overweging aanbevolen ook aan de Lezers van: *De Leer der Hervormde Kerk*, door den Leidschen Hoogleeraar J. A. SCHOLTEN.

f 1,30.

EEN

WOORD DER WAARHEID EN DES VREDES

AAN ALLE MIJNE

PROTESTANTSCHE MEDECHRISTENEN.

f 0,35.

L





